350 –

Emblem
Lutea.


Memora,
re novis,
sima tua,
et in æter,
num, non
peccabis
Eccli 7.
v.

FRANC. XAV. MANNHART
SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

QUINQUE INTIMI CONSILIARII HOMINIS CHRISTIANI.



CUM FACULTATE SUPERIORUM.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
UMTIBUS MATTHÆI RIEGER, BIBLIOPOLÆ:
M D C C L X V.

FACULTAS

R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS.

Cum Librum, cui Titulus quinque intimi Conſiliarii hominis Chriſtiani *a P.* Francisco Xaverio Mannhart *Soc. JESU Sacerdote, idiomate latino conſcriptum Patres ad id deputati recognoverint, probaverintque, ego* Ignatius Rhomberg, *ejusdem Societatis per Germaniam ſuperiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad hoc mihi facta ab A. R. P. N.* Laurentio Ricci *univerſæ Societatis JESU Præpoſito Generali, Auctori ejusdem facultatem impertio, eum typis vulgandi per* D. Matthæum Rieger, *Bibliopolam Auguſtanum ita cupientem. In cujus rei fidem has ei manu propria ſubſcriptas, & conſueto officii mei Sigillo munitas dedi. Oeniponti* 13. *April* 1765.

(L.S.)

IGNATIUS RHOMBERG.



INDEX.

Præfatio de tribus dotibus boni Conſiliarii.

Pag. 1

Primo, ut ſit Senior. *Secundo*, ut ſit Fidelis. *Tertio*, ut nec ſimulet nec diſſimulet. Tales ſunt, quantum attinet ad hominem Chriſtianum, Mors, Judicium, Infernus, Cœlum, Æternitas.

Con-

Consiliarius Primus.

Mors.

Pag. 10

Franciscus Borgia, Dux Gandiæ, postmodum Societatis JEsu Præpositus Generalis, & inter Divos relatus, dum cadaver Isabellæ defunctæ Imperatricis conspicit; mortem in Consiliarium sanctioris vitæ adhibet.

Consilia Mortis Speculativa.

Pag. 13

I. De certitudine mortis.

II. De incertitudine temporis.

III. De incertitudine loci, ac mortis generis.

IV. De morte ipsa, quid sit.

V. De timore mortis improvisæ.

VI. De timore eorum, quæ mortem sequuntur.

VII. De hora mortis, ejusque circumstantiis.

Consilia Mortis Practica.

Pag. 23

I. De mortis frequenti meditatione.

II. De emendatione vitæ non procrastinanda.

III. De cordis affectu terrenis rebus non affigendo.

IV. De transitu per vallem lacrymarum.

V. De commeatu ad vitam æternam, seu bonis operibus præmittendis.

VI. De iis, quæ mitigant mortis amaritudinem.

VI. De iisdem continuatio.

Consiliarius Secundus.

Judicium.

Pag. 34

Bogor, Magnus Bulgarorum Dux, Idololatra, ex conspectu picturæ, tremendum Judicium extremum referentis, Christianæ fidei, ac melioris vitæ consilium capit.

Consilia Judicii Speculativa.

Pag. 37

I. De certitudine Judicii tam particularis quam universalis.

II. De tempore ac loco Judicii particularis.

III. De reddenda ratione exacta supremo Judici.

IV. De Judice, Reo, Accusatore, & Advocato in Judicio particulari.

V. De apparatu formidando Judicii universalis.

VI. De tempore ac loco Judicii extremi.

VII. De iis, quæ Judicium hoc antecedunt, comitantur, & ſequuntur.

Conſilia Judicii Practica.

Pag. 55.

I. De frequenti Judicii memoria.

II. De diſcrimine inter probos & reprobos in in hoc Judicio.

III. De ſalutari timore Judicii.

IV. De rationibus in hac vita ineundis ad præveniendas rationes in altera.

V. De iis, quæ Judicium favens, aut ſaltem minus rigidum reddere poſſunt, uti ſunt bona conſcientia, & exercitium bonorum operum.

VI. De iisdem, ſcilicet de tenera erga Chriſtum patientem devotione.

VII. De iisdem, ſcilicet de cultu Deiparæ & Sanctorum.

Con-

Consiliarius Tertius.

Infernus.

Pag. 66

Hugo Hetruriæ Princeps mirabili ostento pœnarum infernalium jamjam imminentium a vitæ licentia ad meliorem frugem hoc usus Consiliario revocatur.

Consilia Inferni Speculativa.

Pag. 69

I. De certitudine Inferni.

II. De dubitatione circa Infernum deponenda.

III. De vano effugio non credentium infernum vel inferni æternitatem.

IV. De iustitia Dei damnantis improbos ad infernum.

V. De pœna sensus in inferno.

VI. De igne infernali, & cruciatibus inferni.

VII. De pœna damni in inferno.

Consilia Inferni Practica.

Pag. 83

I. De salutari memoria Inferni.

II. De occasione Inferni, scilicet peccato.

III. De modica immortalis animæ, ne damnetur, cura.

IV. De nimia corporis cura, ob quam adeo multi damnantur.

V. De lata via ad Infernum.

VI. De potissima damnationis causa.

VII. De mediis evitandi Infernum.

Consiliarius Quartus.

Cœlum.

Pag. 98

Anachoreta, qui plusquam triginta annis sponte angustissimæ cellæ sese inclusit,

clusit, solo pane & aqua victitans; cœli modica parte per rimam quotidie conspecta toto corpore vegetus & læta canitie venerandus post diuturnam hanc captivitatem est inventus, nullo alio usus Consiliario, quam cœli contemplatione.

Consilia Cœli Speculativa.

Pag. 111

I. De contemplatione cœlestis patriæ.

II. De cœli ineffabili pulchritudine.

III. De cœli descriptione Apocalyptica.

IV. De gaudiis Beatorum secundum sensus externos.

V. De gaudiis Beatorum secundum sensus internos.

VI. De visione Dei in cœlis.

VII. De amore Dei in cœlis.

Consilia Cœli Practica.

Pag. 115

I. De prima in cœlum scala, seu desiderio cœli

II. De secunda scala, seu de oratione ferventi ad obtinendum cœlum.

III. De practica in cœlum veniendi via.

IV. De expugnatione arcis cœlestis.

V. De signis prædestinationis ad cœlum, de paupertate, mansuetudine, & luctu.

VI. De iisdem, scilicet de justitiæ amore, misericordia, & cordis munditie.

VII. De iisdem, scilicet de amore proximi, & patientia in adversis.

Consiliarius Quintus.

Æternitas.

Pag. 134

Thomas Morus, Angliæ Cancellarius, ab Henrico Rege, cujus incestis nu-

ptiis,

ptiis, & impiis religionem novandi ausibus subscribere recusavit, in carcerem conjectus minas omnes & blanditias adhibito æternitatis Consiliario elusit, quin etiam pro Deo, pro patria, pro justitia caput præcidendum obtulit.

Consilia Æternitatis Speculativa.

Pag. 137

I. De æternitate, quid non sit.

II. De æternitate, quid sit.

III. De æternitatibus, quas sibi fabricant in mundo homines.

IV. De æternitatis abysso.

V. De æternitate immortalis animæ.

VI. De æternitate corporis.

VII. De æternitate præmiorum & pœnarum.

Consilia Æternitatis Practica.

Pag. 148

I. De æternitatis ſeria recordatione.

II. De æternitatis freno adverſus malas cupiditates

III. De æternitatis ſtimulo ad virtutes chriſtianas

IV. De æternitate operum noſtrorum ſeu malorum ſeu bonorum.

V. De duplici Æternitatis domo.

VI. De domo æternitatis infelicis.

VII. De domo æternitatis felicis.



PRÆ-



PRÆFATIO.

Nemo mortalium tam ſapiens eſt, ut non alieno quandoque conſilio indigeat, præſertim in graviſſimo animæ negotio. Atque hinc tam ſolicite monet Eccleſiaſticus: *Fili! ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* c. 32. v. 24. Ut autem bona ſint, quibus quisque regatur, conſilia, bonis quoque ac probis opus eſt Conſiliariis. Horum dotes præcipuæ ſunt *Primo*, ut ſint Senes. nam in ſenibus prudentia: Rex Roboam *iniit conſilium cum ſenibus.* 2. Paralip. 10. v. 6. At ubi horum conſilia ſprevit, & ea, quæ Juvenum

 erant,

erant, amplexus eſt, res adeo infauſte ceſſit, ut maxima ſubditorum parte, regnique amplitudine fuerit exutus. *Secundo*, ut ſint fidei incorruptæ. Interrogavit hominem aulicum (inquit Drexelius *in Phaetonte c.* 9.) unus e Purpuratis Patribus, cujusnam Conſiliarii fideliſſimum eſſet conſilium? reſpondit ille: contemnentis aurum. *Tertio*, ut nec ſimulent, nec diſſimulent. Ita Fridericus Imperator teſte Ænea Sylvio dicere ſolebat: utinam Conſiliarii mei in palatii veſtibulo duas res deponerent. Sic enim & ipſi recte conſulerent, & mihi etiam inter conſilia dijudicare facillimum eſſet. Interrogatus; quænam res illæ forent; ſimulatio & Diſſimulatio reſpondit.

His tribus dotibus omni ex parte inſtructi ſunt Quinque Intimi, quos in medium producturus ſum, Conſiliarii. Et quinam iſti? Non alii, quam quos ipſa Veritas & Sapientia æterna in S. Scriptura hominibus ſingulis & univer-

ſis

ſis commendat apud Eccleſiaſticum c. 7. v. 40. dum ait: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Noviſſima hæc ſunt quatuor: *Mors, Judicium, Infernus: & Cælum*; quibus accedit quintum, tanquam priorum quatuor complementum, ſcilicet *Æternitas.* Horum quinque Conſiliariorum, eorumque quæ homini Chriſtiano ſuggerunt, conſiliorum memoria tam utilis eſt, tamque efficax, ut Deus ipſe ſpondeat, illum, qui hæc eſſet memoraturus, iisque aures præbiturus, nunquam fore, ut peccet. Quum igitur peccatum ſit unicum illud triſte impedimentum, quod homines a Deo, æternaque ſalute ſua violenter abſtrahit, ſeria mortis, judicii, inferni, cœli, ac æternitatis meditatio erit nobis pignus divinæ gratiæ, ac ſempiternæ ſalutis. Nec fruſtra Æternitas reliquis quatuor Conſiliariis quintus accedit. Parum enim efficaciæ ad perſuadendum haberet mors & judicium, ſi non illa transmitteret animam ad æternitatis portam: hoc vero, ſi non ex ejus ſententia penderet æterna vel

felicitas vel infelicitas: neque infernus, neque cœlum tanti momenti res videretur multis, si cum tempore finem sortirentur, nec illius pœnæ, nec istius præmia forent æterna. Æternitas pondus addit consiliis reliquorum quatuor novissimorum, quæ dum terrore vel spe implent hominum animos; hæc omnino illos expugnat.

Sed videamus, qua ratione tres illæ, de quibus dixi, dotes conveniant Consiliariis nostris Intimis. Intimos appello, quum non de rebus extra nos positis, de bello, de pace, de fœderibus, de finibus regundis, de redditibus, de securitate publica (uti Regum ac Principum Consiliarii solent) consilia ferant, sed de intimis animæ negotiis, de vita vere christiana, de vitiorum fuga, de refrenandis pravis adfectionibus, de virtutum studio; de mundi contemptu, de cœlestium rerum contemplatione, de sempiterna salute. Sunt autem hi *Primo*; Senes, in quibus prudentia: Mors quidem vi

mun

mundo condito intravit in mundum per peccatum primorum parentum, ejusque regnum præ omnibus aliis eſt antiquiſſimum, ab Adami ævo usque ad hæc tempora non interrupta ſerie: Judicium olim ab omnibus ſubeundum jam æterno fuit decretum invariabili lege, quam nec ullus Imperatorum, Principum, Præſulum, Nobilium æque ac plebeiorum declinare poterit: Inferni rogus per peccatum Luciferi ac rebellium angelorum in terræ mediis viſceribus eſt accenſus, jamque ardet per ſex fere annorum millia: Cœlum tanquam Dei & Beatorum regia ſedes una cum mundo conditum fuit, ſtatque cœleſtis hæc urbs Jeruſalem tam ſolidis ac adamantinis nixa fundamentis, ut nulla vetuſtas eam violare aut ſplendore ſuo exuere poſſit. Æternitas denique tam longæva eſt, ut nunquam initium habuerit, nec unquam finem habitura ſit, a ſe ipſa egrediens, & in ſe ipſam ſemper revertens, ut iterum egrediatur. *Secundo* ſunt omnes hi Conſiliarii incorruptæ fidei: nec Mors, nec Judex divinus

ullis vel precibus, vel promiſſis ac muneribus, vel perſonarum acceptione flecti ſe ſinunt: Infernus reprobis, cœlum electis non partium ſtudio & favore, ſed ſolo meritorum aut demeritorum intuitu obtingit: Æternitas nulla temporum aut rerum viciſſitudine variatur; ſupplicia vel præmia ſemper duratura & nunquam finienda proponit atque diſpenſat. *Tertio* demum hi Conſiliarii nec ſimulare nec diſſimulare norunt: Mortem, quantumvis longam nobis vitam promittamus, nemo adhuc evitare potuit; una ſemper eademque vox Conſiliarii hujus noſtris auribus inſonat: *Statutum eſt hominibus ſemel mori*: ad Hebr. 9. v. 27. Judicium extremum cuncta licet occultiſſima & fucis illita palam faciet, ac exponet omnium conſpectui veris depicta coloribus, quoniam *omnia nuda ſunt & aperta oculis* ſupremi Judicis. ad Hebr. 4. v. 12. In eo *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.* Matth. 16. v. 27. Infernus & cœlum non ſunt pictæ quædam imagines

gines ad absterrendos a vitiis, & alliciendos ad virtutem homines, aut inane poparum figmentum, sed ipsius æternæ Veritatis oracula: de priore pronunciat Consiliarius absque verborum phaleris atque ambagibus: *Dicet his* (Judex Christus) *qui a sinistris erunt: discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Matth. 25. v. 41. de posteriore: *Dicet his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi.* Matth. 25. v. 34 Æternitas quemadmodum nec mutationi, ita nec simulationi obnoxia est. Cuivis nostrum magna voce acclamat: *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* Eccl. 12. v. 5. Suæ scilicet vel infelicis, si male, vel felicis, si bene vixit: nulla pœna major damnatorum, nullum majus gaudium beatorum, quam æternitas invariabilis. Ecce! præclaras dotes Consiliariorum nostrorum. Et quæ consilia suggerunt? profecto spondere ausim, haud alia, quam quæ rectæ rationi summe consentanea, & ad animæ salu-

tem unice neceſſaria ſunt. Neminem hucusque piguit iis obtemperaſſe: omnes pœnitebit olim, illis non obſecundaſſe. Audiri ergo merentur, ſed animo a præjudiciis libero, ad veritatem amplectendam comparato, & ad obſequendum prono: Audiamus.



Conſi







Consiliarius Primus.

Mors.

Consiliarium hunc præ omnibus aliis fidelissimum adhibuit Franciscus Borgia, Gandiæ Dux IV. postea Societatis Jesu Sacerdos & Præpositus Generalis III. ac demum inter Divos solemni apotheosi relatus. Huic corpus defunctæ Imperatricis Isabellæ Illiberim, ut Regio in Sacello ibi conderetur, transferendi cura a Carolo V. Imperatore ac conjuge viduo demandata fuit. Nihil ad funeris pompam seu a Francisco Duce, seu ab Illiberitanis omissum. Verum quum hoc Augustæ cadaver esse, quove tempore, & cujus opera traditum: in Acta publica esset referendum, antequam terræ mandaretur, aperto Sarcophago & nudata facie Isabella olim pulchritudinis miraculum,

culum, nunc adeo deformis apparuit, tamque gravem ſpirans fœtorem, ut ſpectantibus horrorem incuteret, nec ullus eſſet, qui Auguſtæ cadaver hoc eſſe teſtificari vellet. Neque ipſe Franciſcus aliud teſtimonium jurejurando firmatum dare auſus eſt, quam quod toto itinere nihil ſciens prudensque omiſiſſet, quo minus, uti traditum ſibi fuerat funus iſtud, intactum Illiberim rransportaret. Interea tamen tacitus ſecum & mœſtus, ac præſentia præteritis committens cogitare cœpit: *Hæccine illa ſunt lumina, quæ omnium in ſe oculos converterant? hæc venuſtas illa, quæ aliarum formas extinxerat? Tune Iſabella? Tune Auguſta? Fallunt oculi! aberrat mens! ſed non fallunt: nimirum humanarum hæc rerum viciſſitudo eſt. J nunc. fragile illud formæ bonum admirare.* Atque hæc cogitatio altius in animum demiſſa ita totum occupabat Franciſci animum, ut jam tum aula Cæſaris excedere, mundo vale dicere, & inter religioſos parietes ſeipſum tumulare decreverit, id quod ſubſecuta Conjugis lectiſſimæ morte ea, qua cœpit,

pit, constantia est exsecutus, & bona
Imperatoris venia nascentem ea tempe-
state Societatem Jesu ingressus in Virum
Sanctimonia plenum, & aris postea im-
positum evasit. Is ipse Cæsar Carolus
fateri non dubitavit, generosum hoc
Francisci Ducis, sibi oppido familiaris
facinus ansam sibi præbuisse, exemplo
vix unquam audito abdicandi se Impe-
rio, ut procul a mundi negotiis ad bea-
tam sese mortem præpararet; quamvis
negotium hoc Sanctum a pluribus jam
annis serio tractasset. Nam in medio
etiam bellorum tumultu, & victoriarum
cursu Sarcophagum instar risci, seu ar-
cæ viatoriæ, paratum, ut lateret alios
secum circumtulit, & noctu in cubicu-
lo, ubi dormierat, reponi jussit eo con-
silio, ut semper mortis meminisset. Tun
throno Imperiali valedixit duobus ante
mortem suam annis, exiguo cum famula-
tu in monasterium S. Justi in Extramadu-
ra sese abdidit, Deo sibique vacaturus
noluitque, ut Imperator amplius voca-
retur, sed Carolus duntaxat: quin exe-
quias adhuc vivens sibi voluit fieri, qui-
bus ille præsens erat, paullo post piis-
sim

ſime defunctus, toto orbe Catholico tanti Principis ac Cæſaris funus lugente.

Conſilia Mortis ſpeculativa.

I. Ita eſt: nihil certius eſt morte. Nam vita noſtra peregrinatio eſt teſte Apoſtolo 2 Cor. 5. v. 6. nec habemus heic manentem civitatem: tranſire oportet per hæc terrena: ſtabilem pedem figere non licet. Mortuus eſt Abraham, & ſepultus cum Patribus ſuis: mortuus eſt Iſaac, mortuus Jacob, & ſepultus cum Patribus ſuis. Commune hoc elogium eſt Patriarcharum, Ducum, ac Regum veteris Teſtamenti in S. Scriptura: *Mortuus eſt, & ſepultus cum Patribus ſuis.* Quot momenta temporis, tot paſſus ad mortem. Vix intramus per unam vitæ hujus portam, jam reſpicimus ad alteram, ſcilicet mortis, per quam exeamus e mundo: huic trabalibus literis & ferreo ſtilo inſcriptum eſt: *Statutum eſt hominibus ſemel mori.* Nullus ab hac lege fatali exemptus eſt, non infans, non juvenis, non vir, non ſenex. Qui hodie homo eſt, cras non comparet. Flores pruina ſubito decoquit: plantas ærugo improviſo depaſcitur: ſegetem grando in momento demetit: arbores etiam grandævas in ictu oculi aſcia ſternit. Non fruſtra mors pingitur ſine auribus, quia ſurda eſt ad preces & vota: ſine oculis, quia cæca eſt, nec diſcrimen facere novit inter infimos & ſummos:

mos: sine fronte ac genis, quia etiam juvenes florentes abripit: sine lingua & labiis, quia muta est, nec respondet ulli, cur & quando & quomodo: sine carne, quia flexilis haud est, sed absque sensu humano: sola ossa palam monstrat, quia dura est & inexorabilis. Qui perpetuo in hoc mundo vivere sperat, sperat aliquid, quod nullus hucusque mortalium consequi potuit. Hic finis rerum omnium est; & clausula utriusque Testamenti: Vixit Adam annos 930. Eva 940. Seth vixit 912. Jared 962. Noe 950. Sem 600. Mathusalem 969. &c. tandem omnes mortui sunt. Translati sunt Henoch & Elias in locum incognitum: sed & isti ante finem mundi morientur. *Statutum est hominibus semel mori.*

II. Quam certa vero mors est; tam incertum est moriendi tempus. Hoc soli Deo est cognitum, qui vitæ ac necis arbiter est. Ex ejus solius arbitrio sicut initium, ita & finis pendet. Labuntur anni & horæ, quemadmodum arena vel liquor fluit in clepsydra, hoc cum discrimine, quod eam non liceat invertere, ut denuo fluat. Si adest hora in arcano Dei consilio statuta, migrandum est: nihil spei superest in ætate, nihil in corporis robore, nihil in medicorum arte, migrandum est. Eadem sandapila, qua hodie effertur decrepitus senex ad tumulum, cras effertur florens juvenis, perendie vir robustus. In mortis regno non habetur ætatis ratio, quemadmodum in officiis civilibus & militaribus senes præferri solent viris, viri juvenibus, nobiles plebeis.

beis. Hunc ordinem ignorat, certe sæpissime turbat & invertit mors: Hodie mihi, cras tibi: mihi heri, tibi hodie. Infans quidem dicit: vix lucem adspexi, & jam oculos claudam! Juvenis suspirat: in flore sum ætatis, & tam cito marcescam! Vir gemit: ad plenam vitæ meridiem tandem perveni, & nunc subito occidam! senex lamentatur: nunc tempus est quiescendi & bonis labore tam longo partis fruendi, & violenter abripiar! Ergone nunquam homini bonum est mori? neque in infantia; nec in juvenili; nec in virili ætate; neque in senectute? Quandonam ergo? Dicam; quandocunque homo est in statu gratiæ, tunc bonum est mori. Stude igitur; ut semper in eo sis; & semper in eo inveniaris, ut *quum venerit Dominus, & invenerit vigilantem, confestim aperias ei.* Luc. 12. v. 37. Tu aperi januam mortis, & ille aperiet januam vitæ cœlestis. Quibusdam præstat diu vivere; ut meritum augeant: *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Luc. 21. v. 19. Quibusdam præstat cito mori: *Raptus est, nè malitia mutaret mentem.* Sap. 4. v. 11. Longa vita non semper emendat, sed sæpe culpam magis auget. Quid mihi & tibi profit, Deus scit. Hujus voluntati acquiescere præstat omnibus: *Dico huic, vade & vadit, veni & venit.* Matth. 8. v. 9.

III. Non minus incertus est locus, incertum genus mortis, quam ipsum tempus. Absolom Davidis filius, dum regnum adfectat, moritur crinibus hærens in arbore cœlum inter & terram,

tri-

tribus lanceis confossus. Aman Procerum princeps in patibulo, quod Mardochæo paravit, suspensus crepuit. Pharao Ægypti Rex potentissimus cum suo exercitu, dum Israelitas persequitur, undis rubri maris haustus periit. Flamma quæ tribus Pueris in fornace babylonica pepercit, Chaldæorum ministros corripuit atque consumpsit. Satrapæ Nabuchodonosoris Regis, quum leonibus innocentem Danielem objiciunt, hoc illæso ab illis sunt devorati. Nullus a morte locus est securus: hæc elapsa vitæ hora ubi hominem invenit, ibi sternit. Etiam dum longissime creditur abesse, adest ex improviso, sæpe etiam ex insidiis. Hunc epulis intentum, illum ludo vacantem, istum saltu tripudiantem, alium oppressum somno, alium in taberna helluantem, alium ad telonium sedentem invadit, & fracta cervice secum in tumulum abripit. Neque mortis genus unum idemque omnibus est: mille modis variatur. Quoties audimus, quia ille gladio cecidit, ille submersus est, ille ab alto ruens cervicem fregit, ille manducando obriguit, ille ludendo finem fecit, alius igne, alius ferro, alius peste, alius latrocinio interiit: Omnes metam properamus ad unam, sed viis omnino diversis, nobis quidem ignotis, sed notis soli Deo, qui eas designat. Hæ dum nos latent, nullibi securis stare licet. Profecto tria adverbia in vitæ humanæ periodo sunt fatalia, nempe *ubi*, *quomodo*, & *quando*. Scimus esse nobis moriendum, sed nescimus ubi, nescimus quomodo, nescimus quando. Illud duntaxat in hac incerta rerum

con-

onditione plerumque certissimum est: sicut vi-
imus, ita morimur. Mors est eccho vitæ: si
æc bona fuit, erit & illa; si mala, mala quo-
ue mors sequetur. Qualis *vita*, finis *ita*.

IV. Quid autem est mors? est separatio ani-
æ a corpore: ita suspiravit Agag Rex Amelec
inguissimus & tremens, dum a Samuele jussu
Numinis in frusta concisus fuit: *Siccine sepa-
at amara mors?* 1. Reg. 15. v. 32. Si nucem
angis, nucleum extrahis, & corticem humi ab-
cis. Sic mors animam e corpore extrahit, cor-
us vero in sepulchrum projicit. *Siccine sepa-
at amara mors?* ab amicis, a cognatis, a libe-
s, qui post breve tempus haud amplius nostri
ecordantur: a domo, patria, possessionibus &
onis temporalibus, quæ nobiscum asportare non
ossumus, sed aliis sæpe ingratis hæredibus re-
nquenda sunt: Siccine separat amara mors?
 officiis & dignitatibus, quæ uti fumus evane-
unt: a pecuniis & divitiis, quæ male partæ
ale dilabuntur: a deliciis & voluptatibus, quæ
ustatæ cruciant, & nolentes deserunt: ab orbe
to toto, e quo in alium migrare oportet incer-
s futuræ sortis, aut perpetuo felicis, aut sem-
iternum infelicis. *Siccine separat amara
ors?* Quid vero est mori? Respondet Seneca,
mnium in hac vita terribilium esse terribilissi-
um. Et cur hoc? ob duas potissimum caussas.
rimo, quia semel tantum morimur. Si sæpius

B mori

mori liceret, res esset non adeo difficilis: primum errorem corrigere possemus altera vel tertia vice. Cautior fit piscator semel ictus: viator aberrans a via securius postea incedit: navita in scopulos & syrtes delatus evitare alia occasione periculum novit. Sed vana est hæc cogitatio morientis: *in quam partem ceciderit arbor, sive ad austrum sive ad aquilonem, ibi jacebit.* Eccles. 11. v. 3. Semel periisse, semper est periisse. Ex unius momenti jactu tota pendet æternitas. Secundo, quia post mortem melior pars hominis superstes manet, nimirum anima immortalis, vel æternum felix futura, vel infelix. Non agitur heic cum homine, uti cum bruto, ubi cum corpore anima quoque perit. Anima hominis post mortem velut in apice æternitatis est constituta, & exspectare cogitur, an amore vel odio digna sit, an in cœlum assumenda, vel in orcum præcipitanda.

V. Omnium vero maxime timenda est mors improvisa. Et quot non abstulit mors improvisa ex hoc mundo? An non quotidiana habemus exempla, Si totum, qua late patet, orbem percurrere velimus? Tarquinius piscis spinam deglutiens, Fabius hausto in lacte capillo, Anacreon uva ori inserta suffocatus est. Julii Cæsaris pater, dum calceos induit, Cneius Bæbius, dum quærit, quota sit hora; Rhodiensium Legatus finita coram Romano senatu oratione, Chi-

lo

o & Diagoras sub ipsum filiorum in ludo olympico victorum amplexum extincti sunt. Subitanea tamen mors non semper mala est: etiam probos ac justos subito mortuos esse legimus & vidimus. Hinc monuit Servator apud Matthæum: *Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. & vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* At improvisa mors semper pessima. Talis erat divitis illius, de quo meminit idem Servator apud Lucam c. 12. v. 19. qui dixit animæ suæ: *Anima mea habes multa bona posita in annos plurimos. requiesce, comede, bibe, epulare, Dixit autem illi Deus: Stulte! hac nocte animam tuam repetent a te: quæ autem parasti, cujus erunt*? Igitur qui secure vult mori, ne differat præparare se ad ultimum usque tempus, ubi corpus languet, sensus hebescunt, intellectus obtenebratur, ubi voluntas sine efficacia, desiderium sine viribus est, ubi anima præsentium dolore, & futurorum timore turbata est. Nemo integras sylvas momento sternit, nemo fluvios & paludes repente exsiccat, nulla stilla brevi tempore lapidem excavat, nec sentina unico aquæ ductu exhauritur: multo minus animam a vitiis & pravis concupiscentiis atque consuetudinibus malis sine mora licet purgare.

VI. Verum ut ut mors est timenda, magis tamen timenda sunt, quæ mortem sequuntur. Quod ægrotus, de cujus vita Medici desperant, sanetur, res est admodum rara: quod peccator, qui, dum vixit, peccandi libidine abreptus a Deo recessit, sub mortis articulum ad Deum serio revertatur, res est prodigio similis. Tale prodigium factum est cum latrone bono, ut vocant, nihil tale cum malo: ille socios numerat paucissimos, iste quam plurimos. Equidem & justi & impii vitam morte finiunt, eo tamen discrimine, quod inter triticum & zizania intercedit, dum utrumque *Deus sinit crescere usque ad messem: sed in tempore messis dicit messoribus: colligite primum zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Matth. 13. v. 30. Vitam inquam morte finiunt, sed ita, ut quantum eo tempore justus lætatur, tantum impius contristetur. Eadem veritas, quæ dicit Psalm. 115. v. 15. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Eadem dicit Psalm. 33. v. 22. *Mors peccatorum pessima.* Et cur ita? nimirum mors justi est initium vitæ æternæ: mors peccatorum est initium mortis sempiternæ. Justus post longas vitæ miserias ad paradisi delicias fiducia plenus pergit: impius post breves vitæ voluptates ad tormenta nunquam finienda abripitur. Primum nos docet Luc. 16. v. 19. Lazarus mendicus, qui jacebat ad januam divitis Epulonis, plenus ulceribus, quæ lingebant ca-

panes, nec micas de mensa divitis cadentes obti-
nere potuit. Sed ecce! mortuus est, & ab Ange-
is portatus in sinum Abrahæ: alterum nos do-
et dives hic Epulo, qui induebatur purpura &
byssø, & epulabatur quotidie splendide; sed &
ic mortuus est, & sepultus in inferno, nec
uttam a Lazaro obtinere potuit, quo ardentem
itim restingueret. En! epiphonema, quod sa-
ra subjungit Scriptura: *Fili*, dicebat Abraham
d Epulonem, *Fili recordare, quia recepisti*
ona in vita tua, & Lazarus similiter mala:
unc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

VII. Nunquam melius & sincerius judica-
us de vita nostra, quam quum mortis instat
ora. Lux candelæ, quæ morituríentibus ac-
nditur, tenebras illas pellit plusquam ægyptia-
s, quæ viventium oculos captos tenebant. O
æ & qualia ibi videmus! Videmus & legimus
talogum ingentem male actorum a prima æta-
usque ad præsens tempus: Videmus adole-
entiæ nostræ petulantias, juventutis corruptæ
avos mores, virilis ætatis indomitas divitia-
m, dignitatum, voluptatum cupiditates: Vi-
mus tot millia cogitationum malarum, qui-
s concupivimus prohibita, & præcepta spre-
nus: ingentem verborum cumulum, quibus
nam proximi læsimus, scandalum pusillis de-
nus, seduximus innocentes, sacra irrisimus,
os fefellimus. Videmus innumera & pessima

iræ, vindictæ, injustitiæ, ambitionis, fraudum & politicarum artium, carnisque opera clam & palam perpetrata: Videmus tam pauca bona quæ fecimus, tam pauca misericordiæ opera quæ exercuimus, vix ulla sinceræ pietatis ac religionis exempla, quæ dedimus: Videmus quam plurimas inspirationes divinas, & benefaciendi pœnitendi, Deum amandi occasiones neglectas Quid porro? Miserum hunc animæ nostræ statum videntes obstupescimus, sed nunquam minus in statu emendandi vitam versamur, quam ubi sero nimis de ea rectum ferre judicium incipimus. Lux illa subito tenebris obvolvitur, & nox ipsa mortis ingruit. Provide igitur agit ille, qui hoc noctis tempus non exspectat, quo nemo amplius operari potest id, quod sibi utile atque proficuum est ad salutem: provide, qui prius, dum tempus habet, per opera bona & merita spiritualia sibi comparat id, quod ad iter felicis æternitatis est necessarium, ne cum virginibus fatuis, quæ de oleo lampadibus suis prospicere neglexerunt, audire cogatur: *Clausa est janua* Matth. 25. v. 10. Si jam nunc moriturus esses an non ardenter optares, duxisse vitam divinis legibus conformem, humilem, sobriam, & innocentem? Sed hæc ipsa, quæ te optare simili facit, causa est, quæ ad ejusmodi vitam nunc ducendam te permovere deberet. Nemo moriens conqueritur de iis, quæ in hac vita passus est, cupiditatibus suis & carni contraria: sed pœnitet, & amare pœnitet de iis, quas præter-

misi

misit, bene agendi occasionibus. Tunc pœnitet vixisse in deliciis, tempus perdidisse hujus seculi nugis, gulæ ac voluptatis fuisse mancipium, divitiis inhiasse per malas artes, corrupisse justitiam, vitam vixisse nimium quantum mollem. Sed pœnitentia sera raro vera. Ita pœnituit Henricum VIII. Deo & Ecclesiæ perfidum Regem Angliæ, qui morituriens præsentibus Aulæ Proceribus siparium lecticæ obducens exclamavit: Amici perdidimus omnia: perdidimus vitam, perdidimus regnum, perdidimus cœlum. Quis non potius adhuc vivens suspiret cum Sopho illo: Tanti pœnitere non emo. Quam felix & prudens, qui nunc nititur esse in vita, qualis optat inveniri in morte.

Consilia Mortis Practica.

I. Frequens mortis meditatio est optima ad mortem bonam præparatio. Commune adagium est: *Tela prævisa minus feriunt.* Hoc vel maxime verum est de mortis telo, quo hæc incerta hora & loco, certo tamen ictu omnes ferit: minus tamen periculose illos, qui per frequentem memoriam illud prævident. Ne dicas: nimium tristis est hæc cogitatio. Nam si nunc ita terret mors, quando necdum adest, quid faciet, quando non prævisa aderit, ubi non solum videre, sed etiam sentire ac subire illam debebis, nolis velis. Vir sapiens cogitat cum magna

 pace

pace de morte, non secus ac navita, qui in itinere maritimo observat continuo ventos & vela, quæ ad portum tot votis optatum denique ipsum perducunt. Insipiens est, qui vult cum undis & procellis perpetuo luctari, timens ne ad portum perveniat, seu finem, quo nos natura ipsa, & ratio ducit: natura quidem, quæ corpus mortale nobis tradidit, ratio autem, quæ animam immortalem ad finem toto mundo altiorem esse creatam demonstrat. Nihil magis timendum est, quam timor mortis; qui rationem turbat, pectus in angustias redigit, & hominem sui impotem reddit, dum maxime sibi præsens esse deberet. Quid obsecro fles & lamentaris ea appropinquante? Stultus censeretur, qui fleret & lamentaretur, quod ante mille annos needum vixerit: sed æque stultus est, qui flet & lamentatur, quod post mille annos haud amplius vivet. Eadem res est, aliquo tempore non fuisse, & aliquo tempore non esse futurum. Nullum tempus neque præteritum neque futurum est in potestate nostra atque dominio: solum tempus præsens est nostrum. Sera nimis est vita crastina: vive hodie, ac si cras non amplius esses victurus. Hoc quotidiana nos docent funera, quæ oculis nostris obversantur, funera juvenum, funera senum, funera amicorum, funera parentum, fratrum & sororum. Quotidie morimur in aliis, quorum cadavera efferri ad tumulum videmus: sed nunquam morimur nobis, quia mortis cogitationem aut rejicimus ut nimis molestam, aut ipsam mortem nonnisi a longe intue-

intuemur. Quotidie moriuntur homines, & qui vivunt, deducunt illos, exequias celebrant, & vitam ſibi promittunt, dum perditam in aliis lugent. Nemo dicit, corrigam me, ne cras hoc ſim, quod iſte, quem deduxi.

II. Emendationem vitæ ſemper procraſtinare, vel pœnitentiam omnino usque ad mortis confinia differre, res plena periculi eſt. Corvorum vox eſt *cras*, *cras*, non columbarum. Corvus es, ſi aliena rapis vel poſſides, & reſtituturum te clamas cras, cras. Corvus es, ſi vagam ſequeris libidinem, & proximam occaſionem deſerturum te clamas cras, cras. Corvus es, ſi molliter vivis, totumque te voluptatibus immergis, pœnitentiam vero acturum te clamas cras, cras. Corvus es, ſi inimicitiam & vindictæ cupidinem in corde circumfers, & in gratiam cum inimico rediturum te clamas cras, cras. Et quando erit illud cras? Veniam quidem promiſit Deus peccatori, quocunque tempore ex toto corde ſe ad ipſum converterit per pœnitentiam, ſed diem craſtinam non promiſit. Latroni ſerio pœnitenti dixit Chriſtus: *Hodie* mecum eris in paradiſo: ſi *cras* pœnituiſſet, lætiſſimum illud *hodie* nunquam aſpexiſſet. Noli igitur differre converſionem usque ad mortem, ubi vel tempus præcidetur, vel ob morbi dolores & mortis anguſtias de converſione tua ſerio cogitare tibi non licebit. Hæc eſt juſtiſſima Dei vin-

 dicta,

dicta, ut peccator dum potuit pœnitere, non voluit, postea cum velit, non possit. Frustra pœnitet mercatorem, quod mari, tam infido elemento, se commiserit, quando naufragii momentum ante oculos versatur: frustra pœnitet improbum, quod male vixerit, & bene agendi occasiones neglexerit, quando vitæ finis & hora extrema imminet. Nihil fatalius accidere potest, quam si quis subito in longinquam regionem proficisci altiore potestate cogitur: omnia tumultuarie fiunt: necessaria ad iter vel desunt, vel in tanta festinatione oblivioni dantur, vel non bene custodita in itinere pessum eunt. imminente mortis periculo subito confessarius vocatur, subito fit confessio, subito sacrum viaticum & extrema unctio administratur, sed nescio, an etiam subito cum his omnibus in cœlum veniatur. Etiam peccatoribus sub extremum vitæ tempus Ecclesiæ Sacramenta administramus, ait D. Augustinus, sed non idcirco de illorum æterna salute spondere audemus. Quis ergo non timeat, imparatus ingredi æternitatis iter, unde redire non licet?

III. Uti viventis, ita & morientis maximum est solatium, non affixisse cor huic mundo. Cor autem suum affigunt mundo, qui de cœlo & vita æternum beata parum soliciti vivunt, & si penes ipsos staret, contenti forent perpetuo vivere in hoc mundo, dicentes cum stultis apud

Re-

Regium vatem: *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Pſalm. 113. v. 16. Cæcus amor vitæ præſentis eſt inſtar cuſtodis captivorum in carcere, qui ne elabantur captivi, diu noctuque invigilat, usque dum vel ad gladium, vel ad furcam, vel ad rotam ducantur. Sed quis eſt amor hic vitæ tam miſeræ? cujus initium eſt naſci, medium pati, finis mori. Uti nativitatis tempus, ita & mortis non eſt niſi unicum momentum: primum affert quidem gaudium parentibus, nato autem fletum: alterum omnibus luctum. Sed quod inter hæc duo medium eſt, ſcilicet vitæ tempus, quo longius eſt, eo pluribus obnoxium eſt miſeriis. Pauperes premit labor, inopia, fames: Divites angunt curæ, lucrandi cupiditas metus amittendi: Potentes torquet æmulorum invidia, fortunæ variantis inconſtantia, Principum favor inſtar fumi evaneſcens: Delitioſos cruciat voluptatum ſitis non explenda, famæ proſtitutio, ſtimulus conſcientiæ, gehennæ timor.

IV. Nihilominus amamus perdite captivitatem noſtram, & in valle lacrymarum inter mille miſerias, ridemus, lætamur, & luxuriamus. Cogita, obſecro, incolam te eſſe hujus mundi domus: hæc non eſt tibi propria, nec ad te pertinet; commodata eſt, & ad tempus conducta, & quidem non ad certum tempus. Quandocunque Deus omnium ſupremus Dominus migrare ju-

jubet, & alteri eam locare velit, parendum eſt. Oportet ut & alii homines naſcantur, qui opus habent loco, habitatione, ſuſtentatione. Quid fieret, ſi priores abire nollent, & locum ſequentibus cedere recuſarent? Cum hac conditione intramus in mundum, ut iterum exeamus: dum naſcimur, velut jurejurando pollicemur, quod velimus mori. Mors enim eſt pœna peccati, a primis parentibus noſtris commiſſi, ac nobis inſtar portionis hæreditariæ relicti: per peccatum autem mors intravit in mundum, quæ omnibus diem dicit, & omnes demum ſerius aut citius e mundo expellit. Tu non es primus, nec eris ultimus: præceſſerunt iſti, ſequentur illi: quo totus mundus it, & tibi eundum eſt. Cur igitur cor affigis mundo, ubi ſtabilem ſedem non habes? Peregrinos imitari oportet, qui per prata, agros, oppida, caſtella & urbes tranſeunt, donec ad patriam perveniant. Ora frequenter cum Eccleſia orante: *ut ita tranſeamus per hæc bona temporalia, ut non amittamus æterna.*

V. Ad iter æternitatis feliciter ac expedite ineundum nil magis prodeſt, quam præmittere commeatum, id eſt, bona opera. Ex omnibus, quæ in hac vita poſſidet homo, quæque magno labore, ſudore ac curis innumeris comparavit, ex omnibus inquam prædiis, agris, palatiis, hortis, veſtibus, nummis, monilibus, libris, picturis, vaſis argenteis aureisve, honorum titulis & inſigni-

ignibus nihil secum in orbem alterum transferre
oteſt, nihil omnino, præterquam totius vitæ
pera: reliqua omnia ſunt relinquenda. Opera
ominis ſi bona ſunt, præcedunt hoc in itinere:
mala, ſequuntur: illa ad felicitatem perpe-
uam, iſta ad damnationem æternam. Hinc ſo-
cite monet nos Servator Matth. 6. v. 19. *No-
ite theſaurizare vobis theſauros in terra:
bi ærugo & tinea demolitur; & ubi fures
ffodiunt & furantur. Theſaurizate autem
obis theſauros in cœlo: ubi neque ærugo,
eque tinea demolitur: & ubi fures non effo-
iunt, nec furantur.* Quinam vero theſauri
ti, niſi bona opera, quæ ſola ætatem ferunt,
um reliqua cuncta tranſeunt & evaneſcunt.
Iæc ſunt moneta illa proba & parata, quibus
elum emitur: mala opera ſunt ærugo & tinea,
fures; quæ beatitudinis ſempiternæ ſpem
mnem demoliuntur, quin & effodiunt ac auferunt.
ed eheu! magnam partem vitæ conſumimus ma-
agendo, majorem nihil agendo, maximam vero
gendo alia omnia, præterquam quod agere debe-
ius, ſcilicet ſalutem animæ immortalis, quod eſt
egotium negotiorum omnium graviſſimum. Ne-
otiamini ergo, dum tempus habetis: poſtea
enit nox, quando nemo poteſt operari. Joan. 9.
4. O quam male agunt, qui florem juventu-
mundo & pravis cupiditatibus conſecrant,
ppam vero ſenectutis Deo reſervant. Ad quid
ec, niſi quod nauſeam creet, & exſpuatur?
elius igitur eſt, nunc tempeſtive providere,

ac bona opera præmittere, orationes, eleemoſy-nas, obſequia charitatis, actus heroicos, fre-quentem ſacrorum myſteriorum uſum, melius inquam eſt, quam ſpem ſuam collocare in alio-rum poſt mortem auxilio. Si non es pro te ſo-licitus modo, quis erit pro te ſolicitus in futu-ro? Quare ad cœlum preces & gemitus quoti-dianos cum lacrymis dirige, ut ſpiritus tuus ad Dominum poſt mortem mereatur pervenire, ut e carcere vitæ hujus ſolutus in æterna taberna-cula recipiaris.

VI. Mortem evitare non eſt in poteſtate no-ſtra, mitigare tamen ejus vim poſſumus, immo & placidam reddere. Multa ſunt, quæ faciunt amaram: inprimis timor mortis, quem ingerit ipſa natura, horrens diſſolutionem corporis ab anima: dein dolores corporis, qui velut indivi-dui comites mortis nos infeſtant, usque dum animam e domicilio exturbent: rurſus ſaparatio a notis, ab amicis, a bonis temporalibus, qui-bus omnibus in momento valedicendum eſt: de-nique incerta ſors futura, e qua tamen pendet tota æternitas. Verum ſunt etiam multa, quæ mortem reddant tranquillam & ſuavem. *Pri-mum* eſt, cogitare ſecum, mortem eſſe finem omnium miſeriarum, exitum e captivitate, in-troitum in paradiſum. *Alterum*, non ſuis in-niti meritis, ſed præmiſſa delictorum ſeria de-teſtatione (nam *cor contritum & humiliatum*

Deus

Deus non despiciet) omnem in Dei misericor-
ia fiduciam ponere, dicendo cum Propheta:
*Miserere mei Deus secundum magnam mise-
icordiam tuam, & secundum multitudinem
niserationum tuarum dele iniquitatem meam.*
Psalm. 50. v. 1.

VII. *Tertium*, ante oculos ponere Chri-
tum cruci affixum, & illius sanctissimam paſ-
onem meditari, dicendo cum latrone bono:
*Nos quidem digna factis recipimus: hic vero
ihil mali gessit.* Luc. 21. v. 43. In ejus vul-
eribus asylum quæramus, in ejus manus spi-
itum nostrum commendemus. *Quartum* ex-
itare firmam resurrectionis fidem: ipsa natu-
a, rerum omnium mater, ad nostrum sola-
um resurrectionem nobis exhibet. Sol occi-
it & oritur: stellæ cum firmamento singulis
iebus redeunt: flores decidunt, & reflore-
cunt: plantæ ac arbores post hyemem revire-
cunt: semen in terra mortuum reviviscit ad
ructus progignendos: tristis est hyems, sed
ætitiam ver reducit. *Quintum*, in Matris Dei
num se projicere: non deseret filium, quem
anto cum dolore peperit sub cruce. Hæc est
efugium peccatorum, consolatrix afflictorum,
& cœli janua. *Sextum*, implorare auxilium
Sanctorum: hi cœli cives exspectant nos in pa-
ria, socios suæ beatitudinis nos esse cupiunt, &
d æterna gaudia secum percipienda invitant.
Septi-

Septimum, exercere tres actus virtutum Theologicarum, quorum exercitium uti saluberrimum est in vita, ita in morte necessarium, scilicet excitare fidem vivam, spem firmam, & charitatem ardentem. Hi actus sunt claves, quæ reserant cœli portam: sunt vela & venti; qui navem recta ad portum felicis æternitatis deducunt. *Ultimum*, offerre se suaque, præcipue morbi dolores & mortis angustias, Deo in holocaustum, ejusque voluntati acquiescere: *Non mea Domine, sed tua voluntas fiat.*



Consi-


In hoc totum conti netur
unde mun- dus ju- dicetur



Consiliarius Secundus.

Judicium.

Quam præstans, sincerus & potens Consiliarius sit Judicium, quod Morti succedit, expertus jam olim est Bogor Magnus Bulgarorum Dux, qui genti huic imperitavit circa annum Christi sexcentesimum sexagesimum octavum. Princeps hic idololatra, licet animo ferox, picturis tamen adeo delectabatur, ut peritissimos hac in arte magistros e remotis etiam regionibus in regiam suam convocaret. Istos inter erat Monachus, natione Scytha Methodius nomine, cui Dux aream quandam penicillo animandam designavit hac addita conditione, ut pingeret quod luberet, modo illud terroris plurimum spectantium oculis & animo ingereret. Igitur Methodius, postquam diu anceps hæserat, cum nihil e cunctis rebus aliis tristius ac terribilius occurre-

curreret decretorio illo mundi die, quo genus humanum ad dicendam coram Christo Judice causam evocabitur, hoc picturæ suæ argumentum elegit, perfectoque opere, in quod omnem artem suam absumsit, primum habuit Spectatorem ipsum Ducem Bogor, quem vel solus miserandi simul ac tremendi spectaculi obtutus pene extra se rapuit. Videre fuit media in tabula Christum Judicem stupenda majestate verendum in præcelso tribunali e nubibus iride cinctis constructo sedere omnibus conspicuum, Angelis hac & illac tubæ sonitu e sepulchris mortuos excitantibus atque in judicium vocantibus. Ad dextram Judicis partem proborum cœtus ingenti animorum gaudio plausuque, triumphantium more circumstabat, apertum undique cœlum tanquam præparatam sibi, ac deliciis omnibus refertam sedem contemplans, ad quam prolata sententia a cœlestibus Geniis miro splendore micantibus velut alarum remigio portabantur: ad lævam vero improbi in humum prostrati ac desperatione pleni a teterrimis dæmonum

monstris in profundas ac piceis ignibus fluctuantes voragines compingebantur. hiscebat nempe subjecta tellus, & vasto hiatu flammas eructans undique sontes involvit, orci ministris in tetrum carcerem ipsos præcipitantibus. Stupenti ad hæc Principi, cunctaque distinctius contemplanti Methodius adfirmabat, nihil in ista scena ingenio se indulsisse, uti solent pictores, sed rem seriam nullaque arte imitabilem altiore quadam Numinis virtute manum ac penicillum ducente se adumbrasse. Tum singulorum reddidit rationem, & quæ penicillo non poterat exprimere, verbis explicabat. Spectaculi novitate horroreque percussus Bogor, ac superno miserantis Dei lumine illustratus negavit, se tam severi Judicis conspectum eo, quem hactenus duxerat, vitæ tenore subiturum, ac infelicem damnatorum turbam aucturum. Moxque advocatis Christianæ legis Doctoribus Catholica sacra suscepit, plurimis Bulgarorum Ducis exemplum secutis, compositoque regno in solitudinem cum Methodio secessit, sibi animæque saluti vacaturus,

rus, ut vivis coloribus in animo ſuo melius depingeret, quod in mortua imagine conſpexit.

Conſilia Judicii ſpeculativa.

Æternæ Veritatis oraculum eſt, per os Apoſtoli Pauli promulgatum omnibus homiibus ad Hebr. 9. v. 27. *Statutum eſt hominius ſemel mori, & poſt hoc judicium.* Si cum orte tota humanæ vitæ ſeu comœdia ſeu tragœdia niretur, quivis domum rediret, unde venerat, dice volo, e nihilo, e quo extractus fuit, in nihilum verteretur. Verum non ita res agitur: *Statum eſt* æterna & immutabili lege, *hominibus mel mori*, ſed non ſolum mori; ſtatutum quoque t eadem lege *poſt mortem judicium.* Per morn ſolvitur vinculum inter corpus & animam: m vero corpus abjicitur in ſepulchrum, anima hitur ad judicium, quod duplex eſt, nimim *Particulare & Univerſale:* prius eſt prium, alterum publicum: prius absque mora ſt vitam finitam, alterum in fine ſeculorum t tempus ſoli Deo cognitum: utrumque detorium, e quo pendet ſententia vel ſempiter felicitatis, vel perpetuæ calamitatis. De lo horum dubitare licet. Univerſale ipſe ex futurus, Chriſtus Dominus in S. Scriptura dixit clariſſimis verbis: *Filius enim hominis turus eſt in gloria Patris ſui cum ange-*

lis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus. Matth. 26. v. 27. *Cum autem venerit filius hominis in majestate sua, & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab hædis, & statuet oves quidem a dextris suis, hædos autem a sinistris. Tunc dicet &c.* Matth. 25. v. 31 *Statuit* (Deus) *diem, quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro* (Christo) *in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Act. 17. v. 31. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum.* 2. Cor. 5. v. 10 Particulare nos docuit idem Judex Christus De filius in parabolis: de Rege, qui rationes inii cum servis suis, illumque qui debebat ei decem millia talenta, nec solvere potuit, *tradidit tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* Matth. 18. v. 34. item de Hero, qui pere gre proficiscens vocavit servos suos, & tradid illis bona sua: postea vero domum reversus r tiones ab iis exegit severissimas, illumque se vum pigrum, qui male negotium suum gess *in tenebras exteriores* ejici mandavit, *ubi er fletus & stridor dentium.* Matth. 25. v. 1 rursus de Villico, qui diffamatus est apud Don num, *quasi dissipasset bona ipsius.* Luc. 16. v. maxime vero in parabola de Epulone divite Lazaro paupere. Prior splendidissime vixit pu pura & bysso vestitus, alter miserrime contab

ul

ulceribus plenus: uterque mortuus est eodem fere tempore, sed posterior statim ab angelis portatus *in sinum Abrahæ* seu paradisum, prior mox *sepultus in inferno.* Luc. 16. v. 19. Uterque brevissimum judicium ac velut momentaneum subiit, uterque sententiam decretoriam tulit: hic damnationis, ille beatitudinis æternæ. Et re ipsa rectæ rationi summe consentaneum est particulare judicium istud, ut quamprimum mortuo homine instituatur: secus enim defunctorum animabus a corpore separatis veluti vagis ac sortis suæ incertis circumerrandum esset ad usque extremum judicii diem. Neque judicium hoc particulare ullum affert præjudicium universali, quum quod antea privatos intra parietes fit, postmodum publico in foro publicetur, non aliter ac in judicio humano contingit, dum reus in carceris custodia examini subjicitur, & sententia in eum fertur, quæ postea una cum delictorum serie coram populo publice pronunciatur. Non igitur post mortem exspectat anima tanquam somno sepulta insciaque, quid secum agatur, sed vel cœlo vel inferno pro meritis suis adjudicata operiri cogitur anastasin seu corporis complicis conjunctionem, ante diem extremi judicii futuram.

II. Quam certum autem est particulare, de quo nunc sermo, judicium, tam incertum est tempus & locus. Mors apparitoris munere fungitur: hic venit a Judice missus, & citat ad tribunal tempore, quod nescitur, & quod sæpius

minime exſpectatur: hic pulſat fores opportune, importune, & ſi non aperiantur, vi facta eas perfringit: nullam excuſationem admittit, aut moram ullam indulget, nec tempus relinquit rationibus tunc primum componendis: parendum eſt, & mox comparendum coram Judice. Juſta eſt hæc Dei providentia, ut neſciamus tempus, quo rationes reddere debeamus, quum quivis alias facile negotium hoc omnium graviſſimum, ipſamque vitæ emendationem differret ad ultimum usque tempus. *Qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Luc. 12. v. 40. ſcilicet ad rationes exigendas, & judicium exercendum. Sed & locus judicii iſtius latet. Ignoramus, an mors citatura ſit nos ad judicium domi vel foris, in platea vel in campo, an in lecto vel extra lectum: ignoramus an igne, aqua, vel terræ motu, humine an ſublime ſimus perituri: an non lapſu per ſcalam, ruina tecti aut tegulæ ruentis pondere ſimus opprimendi. Dum filii & filiæ Job convivium celebrant, ecce ventus adeſt, & concutit quatuor angulos domus, quæ corruit, & omnes ruina ſepelit: in momento ad judicium rapti ſunt. Abner & Amaſa in amplexu a Joab trucidantur. Regina Jezabel dum ſtibio vultum pingit & ornat comas, e feneſtris præcipitatur. Balthaſar Rex, ubi cum Optimatibus & uxoribus ac concubinis ex vaſis aureis argenteisve e templo Solymæo ablatis bibit ac helluatur, manum in pariete ſcribentem vidit: *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens.* Dan. 5. v. 27. eademque nocte eſt interfectus. Illud ſatis certum:

tum: Judicii locus erit ibi, ubi mortis. Non opus eſt, ut reus procul aut e latebris protrahatur ad tribunal, neque ut Judex a longe accerſeatur. Judex quippe Chriſtus Homo ſimul & Deus eſt, ubique præſens & præſto, ut ſententiam ferat, & quum omniſcius ſcit, neque examine neque teſtibus indiget. Tria vero ſunt hominum genera, quæ judicium hoc ſubibunt: primo qui ob ſcelera ſua & vitam ſine pœnitentia peractam ad infernum condemnabuntur: Dein qui poſt vitam ſine labe puram recta ad cœlum tendent. Utrumque patet in Epulone ac Lazaro: *ſepultus in inferno: portatus in ſinum Abrahæ.* Demum qui ad tempus, donec omnes peccatorum maculas ſibi etiamnum adhærentes eluant, in purgantes flammas mittentur: *Tradidit tortoribus, quoadusque redderet univerſum debitum.* Matth. 18. v. 34.

III. Quid autem eſt, quod judicium hoc adeo formidandum reddit? ah! ratio reddenda Judici. Quam durus labor & moleſtia plenus videtur alicui exomologeſis ſeu confeſſio ab uno integro anno, vel omnino pluribus? & quam longe durius, reddere rationem totius vitæ, eamque exactiſſimam? *Quid faciam*, ait Job 31. v. 14. *quid faciam, ſi Deus judicaturus veniet, quid reſpondebo ei?* Reſpondendum eſt, & reddenda ratio *primo* de cogitationibus. Non valet heic ſententia Ulpiani: cogitationes eſſe a tributo liberas nec vectigales. Jus ſacrum aliter pronuntiat: *Ego autem* (Chriſtus) *dico vobis,*

quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo. Matth. 5. v. 28. *Omnium enim corda scrutatur Dominus, & universas mentium cogitationes.* 1. Paral. 28. v. 9. *Secundo* de verbis: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Matth. 12. v. 36. Si autem de verbis otiosis, qualis ratio reddenda erit de turpibus & obscœnis, de malignis & detrahentibus, de iracundis, mendacibus, irreligiosis, scandalosis, blasphemis? *Tertio* de operibus: *Observasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.* Job 13. v. 27. *Cuncta quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit.* Eccl. 12. v. 14. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* Psalm. 74. v. 3. Si opera, quæ apparent justa, subjicientur examini, quid fiet cum illis, quæ injusta sunt? cum tot fraudibus, usuris, iniquis exactionibus, pauperum & viduarum oppressionibus, locorum Deo sacrorum expilationibus? *Quarto* de quinque sensibus, auditu, visu, gustu, odoratu, & tactu, eorumque bono vel malo usu: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apocal. 18. v. 7. *Quinto* de septem peccatis, quæ Capitalia vocantur: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces*

regnum

regnum Dei possidebunt. 1. Cor. 6. v. 10. *Sexto* de decem præceptis Decalogi. *Si vis vitam ingredi, serva mandata.* Matth. 19. v. 17. *Perquirite cuncta mandata Domini Dei nostri.* 1. Paral. 28. v. 8. *Septimo* de omnibus donis & bonis animæ ac corporis, deque talentis: *Da Altissimo secundum datum ejus: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.* Eccles. 35. v. 12. *Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.* Luc. 16. v. 2. *Octavo* de officiis & muneribus Principis, Consiliarii, Præpositi, Patrisfamilias: *Judicium durissimum his, qui præsunt, fiet: potentes potenter tormenta patientur.* Sap. 6. v. 6. *Nono* de omissionibus bonorum operum & occasionum bene faciendi ac merendi: *Esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me &c. Et ibunt hi in supplicium æternum.* Matth. 25. v. 34. *Decimo* de tempore bene vel male collocato. Heic vix ullus est etiam accuratus & industrius negotiator sine debito. Annus numerat 365. dies, horas autem 8760. Si quis 70. annos vivat, prodibunt 613200., id est, sexcenta & tredecim millia horarum cum ducentis. Quo omnes obsecro pervenerunt? quomodo ad Dei cultum, ad animæ salutem, ad cœlum lucrandum, verbo, ad finem ultimum, ad quem unice conditus est homo, impensæ fuerunt? Neque dicas, non tam accurate ad leges arithmeticæ omnia discutiet Judex. Falleris mi bone! *Ecce,*

mensu-

mensurabiles posuisti dies meos, inquit Vates Regius Psalm 38. v. 6. & Job 14. v. 16. *Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis. Signasti quasi in sacculo delicta mea.* Pro! quantus rerum examini & quidem exactissimo subjiciendarum cumulus! Absolvetur tamen judicium hoc velut in momento. Proferetur enim liber ille scriptus, in quo totum continetur: quidquid latet, apparebit, nil inultum remanebit. Nullus heic exceptioni, excusationi, responsioni locus:

Non erit heic Codici
Locus, nec Digestis,
Idem Dominus Judex
Actor est, & Testis.

Propria quemvis conscientia convincet: in momento instituetur accusatio, in momento sequetur confessio, in momento sententia feretur.

IV. Quid jam de personis, quæ hoc in judicio comparebunt? Quales istæ? Quæ in omni judicio bene ordinato, scilicet Judex, Reus, Accusator, & Advocatus. *Judex* est Dei Filius, Christus JEsus, qui de seipso testatur Matth. 28. v. 19. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* & Joan. 5. v. 22. *Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio.* Judicem hunc, quamdiu vivimus, amabilem faciunt misericordia, qua nos profuso sanguine ab inferis redemit: mansuetudo, qua toties tamque graviter peccantes tolerat, ac vitæ emen-

emendationem exſpectat: immenſa charitas, qua ovem perditam quærit, ſuisque humeris impoſitam ad ovile reducere conatur; qua filium prodigum ad ſe revertentem excipit, atque paternis brachiis amplectitur. Sed in morte terribilem nunc eundem Judicem reddunt potentia: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. v. 28. Scientia, dum omnia *nuda & aperta ſunt oculis ejus.* ad Hebr. 4. v. 13. etiam maxime abſcondita & arcaniſſima. Nil valent heic ea Juris axiomata: de minimis non curat Prætor: de occultis non judicat Prætor. Minima quæque excutit, occulta quævis in lucem protrahit Divinus Prætor. Juſtitia, & quidem inflexibilis: *Verebar omnia opera mea, ſciens, quod non parceres delinquenti.* Job 9. v. 28. *Non enim parcet in die vindictæ, nec acquieſcet cujusquam precibus, nec ſuſcipiet pro redemptione dona plurima.* Prov. 6. v. 35. Hæc de Judice. Porro *Reus*, qui ad tribunal ſiſtitur, eſt homo judicandus a Deo-Homine. Hic comparere cogitur absque ullo comitatu amicorum & clientum, absque famulitio ac ſatellite, absque aulicis atque proceribus: ſolus & nudus, ſpoliatus omnibus bonis, divitiis, & mundi illecebris: *Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Job 1. v. 21. Sola conſcientia ipſum comitatur: ſola opera in judicium illud penetrant. Hæc ſive bona ſint, ſive mala, in mo-

mento

mento patebunt, quantumvis in vita fuerint hominum oculis abscondita. *In fine hominis denudatio operum illius.* Ecclef. 11. v. 29. Quamdiu vivimus, pleræque actiones & peccata nostra sunt intra siparium humanæ vitæ theatro obductum. hinc tam parum timemus male agere, dicentes illud cum impiis Susannæ procis *Nemo nos videt.* At ubi mors siparium subito removerit, agnoscet miser homo, quam belle in hac vita personam suam egerit. Qui se ipsum nunquam in speculo intuitus est, formosum se credere potest, quamquam vel maxime deformis sit. Sed si ante speculum constituitur, intuetur extemplo rugas frontis, genarum sulcos, livorem oculorum, protuberantem nasum, dentes atros, squallorem capillorum, totiusque faciei deformitatem. Continget ei, quod prænuntiat Judex Dominus apud Psalmistam Psalm. 49. v. 21 *Arguam te, & statuam te contra faciem tuam.* Hæc facies est vita hominis: conscientia speculum, in quo se suamque miseriam intuebitur homo, non sine horrore, nec sine terrore. Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, quum vix justus sit securus? *Accusatoris* munere fungetur Dæmon: & quam fortis hic accusator? qui *velut leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* 1. Petr. 5. v. 8. qui delictorum per totam vitam commissorum ingentem catalogum exhibebit: qui furore & invidia plenus coram divino Judice perorabit: vide sis, o Judex æquissime, ego pro hoc homine nec verbera, nec flagella, nec crucem sustinui, nec sangui-

ſanguinem fudi, quemadmodum tu ſuſtinuiſti, fudiſti: tamen hic homo te Creatorem ſuum ac Redemptorem, tuaque mandata contempſit: mihi vero adhæſit, a quo perdendum ſe ſcivit. Tuus quidem eſt per creationem ac redemptionem, ſed meus per culpam, ac præceptorum transgreſſionem. O quam dura hæc accuſatio, quam horrenda exprobratio. *Advocatus* erit S. Angelus, cujus cuſtodiæ ac curæ a prima nativitate homo commiſſus fuit. Hic quidem accuſationi intercedet, opera bona producet, ſed quam forte pauca in comparatione malorum, quam forte ad juſtificationem & ſalutem inſufficientia, & ſi bilanci juſtitiæ imponantur, inventa tanquam minus habentia? Defendet quidem Clientis cauſam, quantum poterit, ſed in judicio victus diſcedet triſtis, illudque ingeminans: *Curavimus babylonem, & non eſt ſanata; derelinquamus eam.* Jerem. 5. v. 9. Quis tunc ſenſus erit Rei tantas inter anguſtias deprehenſi? qualis trepidatio! Jamque imminet ſententia Judicis æquiſſimi ſimul & inexorabilis, & quidem ſententia per totam æternitatem immutabilis. In hujus rei conſideratione trepidarunt animæ ſanctiſſimæ, annoſi eremi incolæ, columnæ Eccleſiæ. Si quis cauſa cadat coram humano judice, plus perdere non poteſt, quam quod habet: ſi cauſa cadat coram divino, non ſolum perdit, quod habuit, verum etiam omne id, quod per totam æternitatem habere potuiſſet, & habiturus fuiſſet, cœlum, Dei conſpectum, Beatorum conſortium, & vitam circumquaque felicem, ac ſine fine beatam.

V. Ter-

V. Terribile est, ut vidimus, judicium particulare ob sententiam decretoriam: terribilius adhuc universale ob circumstantias & apparatum. Si caussas nosse velimus, cur præter particulare judicium Universale quoque sit instituendum, eæ in promptu sunt. Multa fiunt in orbe terrarum seu ita decernente seu permittente Deo, quæ hominum aliquibus minus sapienter ac provide disposita, aliis minus justa & æqua, omnibus mirabilia videntur, dum non raro scelera impunita grassantur, opprimuntur justi, & miseriis opplentur in hac vita, gaudentibus interim & exultantibus improbis; dum variis innocentes cum nocentibus plagis bellorum, famis, pestis, incendiorum & inundationum castigantur; dum sæpe optima justissimaque consilia pessum dantur, & a fatis, ut adparet, dominantibus susdeque vertuntur. Decet igitur (etsi nulla ratione necessum sit) decet, inquam, ut supremus ille orbis Dominus & Gubernator horum omnium rationem palam exponat, consiliorum suorum ac decretorum arcana pandat, & justissimum sanctissimumque sapientiæ ac providentiæ suæ ordinem cursumque explicet, tum ad gloriam suam manifestandam, tum ad improborum maximam confusionem, atque proborum incredibilem exultationem. Præterea fiunt multa, immo plurima in hoc mundo, quæ ab hominum oculis abscondita sunt, tum cogitationes pravæ, fraudes iniquæ, sententiæ injustæ, opera tenebrarum: tum desideria sancta, virtutum internarum exercitia, opera misericordiæ, pœniten-

nitentiæ, patientiæ, aliaque hominum oculis studiose a viris sanctis occultata. Hæc omnia ut in lucem protrahantur oportet, ne ex una parte impunitum maneat scelus, ex altera ut virtus prœmio afficiatur. Denique ut sententia in judicio particulari clam in quemvis hominum lata cunctis modo innotescat, Deique justitia simul & misericordia triumphet, hæc electis exhibita, illa reprobis administrata; dum ostendetur, nullum nisi sua culpa periisse, nullum nisi Deo miserante salvum esse factum. Nimirum *Paravit* (Deus) *in judicio thronum suum, & ipse judicabit orbem terræ in æquitate, & judicabit populos in justitia.* Psalm. 9. v. 9. & quidem *Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet, sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ, & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum interficiet impium.* Isai. 11. v. 3. 4.

VI. Quandonam autem, quove tempore aut loco futurum sit hoc judicium extremum, quod Joel Propheta *diem Domini magnum* appellat, incertum est. De tempore quidem pronunciat ipsa Veritas æterna: *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius hominis, nisi Pater.* Marc. 13. v. 32. Hinc vani sunt conatus Astrologorum ac Mathematicorum, qui tempus judicii hujus calculo subjicere ac determinare conantur: possunt siderum cursus, & eclipsium tempus numeris suis

D ac

ac logarithmis deprehendere, non de autem die isto certum quid prædicere, ne quidem divinare. Illorum calculos quiescere jubet is, qui dixit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Act. 1. v. 7. Neque de loco judicii certo constat, quamvis communis Patrum ac Interpretum doctrina vallem Josaphat non procul a Jerosolyma designet ex illis Prophetæ Joel verbis: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis super populo meo, & hæreditate mea Israël . . . . Consurgant, & ascendant gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu.* c. 3. v. 2. & 12. Certiora dicere licet de apparatu & circumstantiis tremendi hujus judicii.

VII. Quædam antecedent, quædam comitabuntur illud, quædam sequentur. *Antecedentia* sunt signa illa, quæ veluti feciales supremi Judicis diem illum (qui a Sophonia vocatur *dies iræ, dies illa, dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis & miseriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris.* c. 1. v. 15.) quæ inquam diem illum instare omnibus annuntiabunt, qualia erunt in cœlis sanguinei lunæ ac siderum aspectus, densæ solis ac planetarum tenebræ, atque cœlestium globorum perturbatus cursus, & in se impingentium fragor: in terris vero ignes e visceribus telluris erumpentes, totamque solventes compagem, atque maris exundantis fluctuum-

que

que fonitus horribiles: terror ac planctus hominum ad tam infolita figna ftupentium ac præ timore arefcentium: *Dabo prodigia in cælo & in terra, fanguinem & ignem, & vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, luna in fanguinem, antequam veniet dies Domini magnus & horribilis.* Joel. 2. v. 3. *Et erunt figna in fole, & luna, & ftellis: & in terris preffura gentium præ confufione fonitus maris & fluctuum, arefcentibus hominibus præ timore, & exfpectatione, quæ fupervenient univerfo orbi: nam virtutes cælorum movebuntur.* Luc. 21. v. 25. *Comitantia funt* congregatio judicandorum & adventus Judicis. Nimirum Angeli, Judicis miniftri, quaquaverfum emiffi tubarum fonitu ingenti mortuorum corpora velut e profundo fopore excitabunt, & e tumulis fuis prodire jubebunt. *Et mittet angelos fuos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a fummis cælorum usque ad terminos eorum.* Matth. 24. v. 3. Tunc terra dehifcens & mare divifum reddent, quæ prius finu fuo conclufa tenebant cadavera: *Dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors & infernus dederunt mortuos fuos, qui in ipfis erant.* Apocal. 20. v. 13. Offa offibus jungentur, cineres in carnem revivifcent, & omnium hominum animæ divina virtute corporibus fuis unientur fubito: *In momento, in ictu oculi, in noviffima tuba: canet enim tuba, & mortui refurgent.* 1. Cor. 15. v. 52. Hac tuba excitati properabunt cuncti, immo

transferentur ex omnibus mundi plagis & angulis in locum judicio destinatum. Deum immortalem! qualis quamque immensus hominum numerus, vix non maris undas, & litoris arenas transcendens! qui aspectus! qui motus diversissimi! Tunc autem subito apertis cœlorum portis scissis nubibus apparebit divinus Judex, Christus Jesus, cujus insignia, scilicet crucem & Passionis instrumenta portabunt Angeli: ipse vero in iride (*& iris erat in circuitu sedis* Apocal. 4. v. 3.) velut in tribunali sedebit judicaturus vivos & mortuos. *Tunc parebit signum filii hominis* (nempe crux) *in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate.* Matth. 24. v. 30. Post hæc angelorum & dæmonum ministerio instituetur separatio bonorum a malis, & electorum a reprobis, ita ut hi ad sinistram, illi statuantur ad dextram Judicis medium locum occupantis. *Congregabuntur apud eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis, & statuet oves quidem a dextris, hædos autem a sinistris.* Matth. 24. v. 31. Quo justorum gaudio & exultatione, malorum vero mœrore ac ululatu divisio hæc sit facienda, quis cogitatione assequi poterit? Sed & liber scriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur. *Liber apertus est, qui est vitæ.* Apocal. 20. v. 12. Liber hic aliud non est, quam manifestatio publica per divinam virtutem ac illustrationem supernam

facta,

facta, quæ quivis velut in libro magnis characteribus exarato scripta leget: primo Dei in mundo condendo ac gubernando admirabilem providentiam: dein ingens opus Redemptionis humanæ, ac feriæ voluntatis divinæ omnes homines per media sufficientia illis subministrata salvos faciendi: demum & misericordiam Dei in electione justorum: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Joan. 15. v. 16. & justitiam in reprobatione malorum. *Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Oseæ 13. v. 19. Proferentur in medium & alii libri, de quibus Evangelista Joannes in Apocalypsi c. 20. v. 12. *Et vidi mortuos magnos & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt: . . . judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.* Hi libri sunt conscientiæ, in quibus velut in speculo quivis præsentium singula tum opera bona, tum mala alterius, quæ prius ut plurimum abscondita fuerunt, unico velut obtutu intuebitur, ad piorum gloriam, & ad confusionem impiorum. Et quanta hæc, quamque terribilis confusio coram cognatis & amicis, coram parentibus & liberis, coram subditis & famulis, nihil tale olim suspicantibus, coram toto mundo! A dextris erunt peccata accusantia, a sinistris infinita dæmonia irridentia, subtus horrendum chaos, desuper iratus Judex, foris mundus ardens, intus conscientia urens. Quo fugies sic deprehensus peccator? latere erit impossibile, apparere intolerabile. Maledicet anima

ma corpori, quod ab eo ad flagitia carnis, mollitici, ambitionis, avaritiæ &c. Seducta fuerit: maledicet corpus animæ, quod tanquam pars nobilior & domina ipſum rectæ rationis & fidei freno non coercuerit, ſed ad omne nefas portam aperuerit, ſuoque ductu in barathrum exitii præcipitarit. Et horum maledictorum mutuorum nullus erit finis, quum nullus in æternum corpus inter & animam damnatam ſeparationis locus concedetur. Denique proferetur ultima, decretoria, & publica ſententia a Judice æquiſſimo. In lege veteri, quando Moſi Deus Decalogum ſeu præcepta lapideis tabulis inſcripta conſignavit, ut populo promulgaret, fiebat hoc inter tubarum ſonitus, fulgura & tonitrua, ita ut omnes timore maximo repleti fuerint, nec accedere propius auderent. Quid fiet, quando congregatis omnibus gentibus extrema vitæ vel mortis æternæ ſententia promulgabitur? Et qualis iſta? Duplex, & quidem breviſſima clariſſimaque: *Tunc dicet his, qui a dextris ejus erunt, venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi.* Hæc prima; mox altera: *Tunc dicet his, qui a ſiniſtris erunt, Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Matth. 25. v. 34 & 41. Prolata hac ſententia ſciſſis nubibus Divinus Judex cum angelis & electis ſuis magno cum jubilo atque triumpho in regni cœleſtis Regiam intrabit: dæmones vero cum damnatis dehiſcente inter flammas tellure in inferni rogum præ-

præcipitabuntur. En! Judicii extremi faciem nonnisi verbis S. Scripturæ adductis descriptam. Quis est, qui dubitet de veritate? nemo certe, nisi qui S. Scripturam ipsam neget. Certe Christus Dominus, ubi diem hunc una cum suis circumstantiis præsagiit, ut omnem nobis dubitationem adimeret, hæc eadem verba apud tres Evangelistas veluti sigillo impresso veritatem confirmaturus subjunxit: *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Matth. 24. v. 35. Luc. 21. v. 33. Marci 13. v. 31. Si nuncius extremi Judicii nos terret, quid fiet, si ipse Judicii dies advenerit?

Consilia Judicii Practica.

Nihil salubrius tum ad reprimendas pravas animi affectiones, tum ad peccandi pericula superanda, quam frequens Judicii memoria. Qui in carcere vincti detinentur, non jam de vitæ præsentis oblectamentis, de divitiis, de honorum gradibus, de voluptatibus, sed diu noctuque cogitant, quid judici sint responsuri, qua ratione causam suam acturi, quomodo pœnarum & mortis sententiam sint declinaturi. Quidni & nos, qui quamdiu vivimus, sumus quasi carcere corporis clausi, sæpius saltem de hoc judicio seria mente cogitemus, quod evitare non possumus, & quandonam subeundum sit, nescimus. Duæ voces sunt, quas nostris in auribus, quin nostris in cordibus perpetuo circumferre deberemus: duæ voces altum sonantes, & multum im-

mo plurimum significantes: *Venite*, *Discedite*. Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum. O vox solatio gaudioque plena, sed probis solum & justis: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Matth. 25. O vox horrore ac desperatione referta, nempe impiis & reprobis. Durus multis videtur, dicit nobilis ille Asceta, durus inquam multis videtur hic sermo: Abnega temetipsum, tolle crucem tuam, & sequere Jesum; sed multo durius erit, audire illud extremum verbum: Discedite a me maledicti in ignem æternum. Qui enim modo libenter audiunt & sequuntur verbum crucis, tunc non timebunt ab auditione æternæ damnationis. Hoc signum crucis erit in cœlo, quum Dominus ad judicandum venerit; tunc omnes servi crucis, qui se crucifixo conformaverunt in vita, accedent ad Christum Judicem cum magna fiducia.

II. Ah! quibus oculis tunc aspiciet dives & honoratus in mundo, sed in judicio extremo condemnatus, quibus oculis aspiciet, quem in hac vita ob inopiam & ignobilitatem magno supercilio contempsit? quem cum fame ac miseria luctantem non adjuvit, ipse vivens delicate, ac splendide incedens? quanto cum rubore intuebitur a dextris collocatum inter angelos pium ac probum, cujus pietatem ac devotionem irrisit, quemque contemptui habuit? Nunquid ejusmodi cum gemitu non profuturo dicent illud: *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperii? Nos insensati æsti-*

æstimabamus vitam illorum insaniam, & finem sine bonore. Ecce! quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra. Sap. 5. v. 4. Nimirum hac in vita sæpe Dei providentia utitur peccatoribus ad justos affligendos ac deprimendos: sed in die illa ejusdem Dei justitia velut scena mutata utetur electis suis ad confundendos, puniendosque improbos. Quam plena doloris tunc erit separatio infinitæ hominum multitudinis, Parentum a filiis, uxorum a maritis, dominorum a servis, clientum a patronis, amicorum ab amicis. Deus bone! sola hæc cogitatio & memoria judicii venturi alte in animum demissa ad fastum deprimendum, ad deponendam vindictam, ad justitiam, ad misericordiam omnibus exhibendam, ad salutarem denique timorem Dei per omnem vitam sufficere posset ac deberet.

III. Nec forte quis dicat, hæc Judicii memoria nimium est molesta & timore plena: necdum tempus est, cogitatione hac sese cruciandi. Verum sit molesta, sit timoris caussa: timor hic est admodum salutaris & probis & improbis. Probis quidem ad se in via virtutis & justitiæ, ac mandatorum Dei continendos. Ita legimus D. Hieronymum, magnum illum tam doctrina quam sanctitate virum, medios inter eremi squallores, & corporis afflictationes tubæ mortuos ad judicium citantis clangorem perpetuo in auribus suis sonantem habuisse: ita Hilarionem post septua-

ginta annos, quos in ſolitudine ſumma vitæ auſteritate transegit, appropinquante mortis hora judicii hujus timore perculſum exclamaſſe: Egredere anima mea, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta prope annis ſerviſti Chriſto, & mortem times? *Si hæc in viridi, in arido quid fiet?* Luc. 23. v. 31. Improbis timor iſte prodeſt ad viam iniquitatis ac perditionis deſerendam, & ad pœnitentiam, dum tempus eſt, agendam. Vident enim cum Damocle ſupra cervices ſuas pendentem e tenui filo divinæ nemeſis gladium, nunquam ſecuri, quandonam decidat, & in momento trucidet. Inſcrutabilia ſunt Dei judicia, dum quæ hominum ſunt, ſæpiſſime fallant. Dum hominem videmus in deliciis & honoribus viventem placide in lecto mori, magnaque pompa ad tumulum efferri, beatum prædicamus; at in judicio divino ad tartara damnatur, æternum miſer futurus. Quis non beatum in hac vita dixerit Epulonem, miſerum Lazarum: Sed longe alia divini Judicii ſententia fuit: poſt mortem Epulo ſepultus in inferno: Lazarus in ſinum Abrahæ translatus eſt: Epuloni dixit Abraham: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala: nunc autem hic conſolatur, tu vero cruciaris.* Luc. 16. v. 25. Salutaris itaque timor judicii eſt in præſenti vita, malis, ut evadant in futura ſupplicium, bonis ut eo ſecurius perveniant ad præmium. Omnes cum Propheta jugiter ſuſpirent ad Deum: *Confige timore tuo carnes meas, a iudiciis enim tuis timui.* Pſ. 118. v. 120.

IV.

IV. Ut autem timor iſte fructu non careat, & ſterilis ſit, præparare animum oportet ad futurum judicium particulare. In vita ſæpius rationes nobis ineundæ ſunt dati & accepti, commodati & debiti, meriti, ac demeriti, ne ſubito ad judicium vocati ſuſpirare cogamur cum villico iniquitatis: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert a me villicationem?* Luc. 16. v. 2. In mortis confiniis, quando fores pulſat apparitor, & ad tribunal citat, nihil recte agitur circa rationes reddendas. Ibi enim erit confuſio, non ſecus ac in mundo ante diem extremi judicii. Nam intellectus uti ſol obſcurabitur: voluntas uti luna mutabilis non dabit lumen ſuum: oculi & genæ velut ſtellæ decident, omnia membra fatalis morbi ignis depaſcetur. Quid facies inter conſilia Medicorum, inter curas condendi teſtamentum, & hæredem ſcribendi, inter gemitus liberorum & lamenta familiæ, inter morbi cruciatus? Qui prudentes ſunt in hoc ſeculo, teſtamentum conficere ſolent vel ingruente ſenio, vel integris adhuc ſenſibus, eo conſilio, ut omnia rite fiant ad juris normam & formam, ne poſt mortem litibus & periculo nullitatis obnoxium ſit. Tantam pro bonis ſuis temporalibus, quæ tamen brevi nobis relinquenda ſunt, curam gerimus: & quam quantamque pro bonis ſempiternis & animæ noſtræ rationibus? cur eas non componimus opportuno tempore, ut in judicio illo tremendo compareamus ſecuri? Qui prudentes ſunt in Chriſto, has inire ſolent vel ſingulis hebdomadibus, vel certe ſingulis menſibus, dum ad ſacram exomologeſin accedunt: ibi conſcientiam ſuam ſolicite excutiunt,

pecca-

peccata quibus Deum offenderunt, mente vel calamo, annotant, per ardentes doloris, detestationis & amoris actus contracta apud Deum debita expungere satagunt. Plurimum vero prodest quotidianum, antequam somnus capiatur, conscientiæ examen, ac serius de peccatis per diem commissis dolor, firmumque vitæ melioris propositum. Hac enim ratione judicium Dei velut prævenimus, dum illud in nos ipsos exercemus. Ascende igitur tribunal mentis tuæ: esto tibi judex, torqueat te timor judicii, erumpat e corde tuo confessio: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Psalm. 50. v. 4. Ne peccatum tuum sit olim contra te accusando, fac ut modo tu sis contra peccatum tuum corripiendo. Non raro in comœdia duplicem Actor festivus personam inducit, nunc Judicis, nunc Rei: modo interrogat sedens pro tribunali, modo stans respondet: confitetur idem culpam, & idem fert sententiam. Ita nobiscum ipsis agamus in hac vita: ad tribunal nos ipsos sistamus, examinemus omni cum rigore delicta nostra, cogitationibus verbis & operibus commissa, eaque corde contrito confiteamur, feramus sententiam in nosmetipsos per opera pœnitentiæ. Si tale in nos ipsos judicium exerceamus in hac vita, non habebimus, quod magnopere timeamus judicium in altera, si nostrum ipsi judicem agemus, divinum judicem placatum inveniemus: si in nobis ipsis scelera vindicemus, vindictam Dei effugiemus.

V. Multa sunt, quibus judicium (quam certum, tam tremendum) si non omnino favens, saltem minus

ius rigidum, minusque acerbum reddere possu-
nus, modo velimus. *Primum* facile est rectæ
c simplicis conscientiæ conservandæ studium.
Veniet enim dies judicii, ubi plus valebunt pura
orda, quam astuta verba, plus conscientia bona,
uam marsupia plena: quandoquidem judex ille
ec flectetur donis, nec falletur verbis. Ibi Deus ju-
ex erit, alius testis quam conscientia tua non erit:
malam causam non habueris, nullum accusatorem
mebis: nullum falsum testem refellere, nullum
erum requirere cogeris. *Alterum* est bonorum
perum in hac vita exercitium. Opera enim no-
ra sola sunt, quæ ad judicium nos comitantur:
æc sola bilanci justitiæ imponentur: mala sini-
ræ, dexteræ bona. Hæc si præponderent, causa
nita est, victoria nostra est. Ejusmodi opera
ræcipue sunt ea, quæ *Misericordiæ* appellamus.
e his solicite nos admonet Christus ipse: futurus
idex apud Lucam c. 16. v. 9. *Facite vobis ami-
os de mammona iniquitatis, ut cum defeceri-
s, recipiant vos in æterna tabernacula.* Elee-
osyna adstat tribunali non tantum patrocinans,
d & ipsi Judici persuadens, ut reo patrocinium
æstet, & pro eo sententiam ferat. Hæc sola est
ecunia illa, qua venalis est in hoc tribunali justi-
a: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniqui-
tes tuas misericordiis pauperum.* Daniel. 4. v.
4. Profecto divinus Judex disertissimis verbis
dicium clemens favensque promisit illis, qui
era misericordiæ exercent: rigidum vero ter-
reque plenum iis, qui ea negligunt. Audire
vat vivæ vocis oracula apud Evangelistam Mat-
thæum

thæum in SS. Literis consignata c. 25. v. 34. &c. Primo quidem: *Tunc dicet Rex his, qui a dextris ejus erunt: Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a Constitutione mundi. Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus & cooperuistis me: infirmus & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me - , Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Dein vero: *Tunc dicet & his, qui a sinistris erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus. Esurivi & non dedistis mihi manducare; sitivi & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus & non cooperuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me . . . Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.* Sequitur sententiæ decretoriæ executio: *Et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam.*

VI. *Tertium* est, quod judicii severitatem mitigat, devotio tenera erga Christum patientem & cruci affixum. Si magni momenti causam haberemus in tribunali, nosterque Advocatus, qui paullo ante pro viribus eam defendit & nihil intentatum reliquit, ut causam nobis lucraretur, si inquam Advocatus iste ad Judicis officium promoveretur, an non bene speraremus, an non omnem in eo fiduciam poneremus? Et ecce! Christus Dominus, futurus Judex, quamdiu vivimus, est Advocatus noster


apud

apud Patrem Æternum: *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* 1. Joan. 2. v. 1. Hic *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* ad Rom. 8. v. 26. & quid? veniam peccatorum, & gratiam meritorum vitæ cœlestis: hic pretiosum sanguinem & vulnera sua in cruce obtulit, & quotidie in altaris Sacramento offert *delens, quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis.* ad Coloss. 2. v. 14. Num a tali Advocato, si eum toto corde colamus, & obsequiis nostris propitium reddamus, si postmodum ut Judex compareat, deserendos nos damnandosque credamus? Omnia quidem in hoc inscrutabili judicio terrent, omnia conturbant; sola una est relicta hæc consolatio, quod solus sit futurus Judex, qui est Redemptor noster: Advocatus noster, Pater noster, tota spes nostra, & totum bonum nostrum. Hunc igitur cruci affixum sæpius devote contemplemur, hujus exosculemur vulnera, in hujus manus spiritum nostrum commendemus, ut in ultimo agone ac securuto judicio propitium habeamus.

VII. *Quartum* est cultus Dei Matris & Sanctorum. Qui causam habet in tribunali agitandam, etsi justa sibi videatur, patronos tamen & amicos conciliare sibi studet, horum limina terit, rogat & obtestatur, ut eam suffragio suo tueantur, & potenti patrocinio defendant. Quam vero meliorem potentioremque Patronam: nisi Dei nostrique amantissimam Matrem: quos amicos fideliores, nisi Sanctos in cœlo, ipsius Dei amicos &

fami-

familiares intimos habere possumus? Huic Reginæ Ester (Mariæ) pro salute suorum Clientum supplicanti Cœlestis Assuerus jam pridem dixit: *Quæ est petitio tua, ut detur tibi? & quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei* (immo totum) *petieris, impetrabis.* Ester c. 7. v. 2. De amicis pridem pronunciavit Ecclesiasticus c. 6. v. 14: *Amicus fidelis, protectio fortis: qui autem invenit illum, invenit thesaurum... Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum.* Quatuor horum, quæ recensui, mediorum comitatu stipato, scilicet bona conscientia, bonisque operibus, præsertim misericordiæ, devotione tenera erga patientem Christum, ac patrocinio Magnæ Matris, cultuque Sanctorum, cum magna fiducia accedere licebit ad tribunal supremi Judicis, atque benignam exspectare sententiam: sinistram evitare, ad dextram collocari, & cum electis hæreditatem regni cœlestis adipisci, atque cum Apostolo gloriari: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* 2. Timoth. 4. v. 7.



Consi



E





Confiliarius Tertius.

Infernus.

Tertius in medium prodit Confiliarius cujus fi frontem & corporis totiu habitum infpiciamus, horrore ac defpe ratione plenus eft: fi vero confilia illiu aufcultare velimus, ea nonnifi anima noftræ faluberrima utiliffimaque eff deprehendemus. Expertus hoc eft r ipfa Hugo Hetruriæ Princeps, Sereniff mo Ottonum fanguine prognatus. Hi pueritiam egit magna probitate ac vita integritate confpicuam. Sed blandien tis dein aulæ illecebris in tranfverfur actus multiplici juventutem fuam lib dine fœdavit. Quum aliquando vena tioni in monte Senario operam dare fpiffæ repente nubes cœlum eripuerun tamque denfus ac magno impetu eff fus imber decidit, ut Hugo Princep omi

missa venatione de latibulo circumspi-
ere cogeretur. Effusis igitur habenis
d spelæum quoddam a reliquo comi-
tu avulsus fertur, quumque profun-
us nonnihil subiret obscurum hospi-
um, horrore plenum ei spectaculum
se objecit. Fornax erat ea forma, quæ
officiniis ferrariis usu venit: circa hanc
gerrimam fabrorum turbam stantem
dit, qui seminudi extrahebant e flam-
is non ferri laminas, sed capita, cor-
a, crura, aliaque humanorum cor-
orum in frusta sectorum membra, quæ
cudi imposita horrendis ictibus con-
ndebant. Magos primum & venefi-
s Hugo credidit esse, qui illas in
ontis latebras sese abdidissent, infa-
s suæ artis securius exercendæ gratia.
uare gravissimis in eos verbis est inve-
us, tanta flagitia certo certius vindi-
turum se professus. Quum ecce! cy-
opum illorum unus propius accedens:
rcius ista, inquit, parcius; neque
im nos magi, sed divinæ justitiæ mi-
tri sumus, & his suppliciis macta-
is mortales ob scelera sua damna-
, præsertim illos, qui obscœnis vo-
E 2 lupta-

luptatibus olim dediti fuerunt, exsp
ctamusque propediem Hugonem quem
piam, regionum istarum Principem
qui & ipse, ubi in manus nostras ven
rit, libidinum suarum pœnas hac sup
incude liberaliter, quin & perpetuo d
bit. Quid ad hæc Princeps? toto tr
pidans corpore agnovit facile, orci m
nistros hos esse, moxque animo mis
rentis Dei nutu penitus immutato ex
tum e spelunca quæsivit, jamque su
redditus alius plane a se ipso esse vid
batur. Neque videbatur solum, sed
imminentibus horrendis hisce suppl
ciis se mature subduceret, melioris v
tæ consilium cepit, tanto Principe d
gnum. Die quadam sacratiore pala
in urbe Florentina inter Ravennate
Archiepiscopum, qui tum forte sed
Apostolicæ Legatus aderat, & Eust
chium Præsulem Florentinum medi
ad summam ejus urbis basilicam iba
coram admirabundo, qui ex tota la
vicinia confluxerat populo identide
ingeminans: *Hugo posthac non erit H*
go: Hugo non erit Hugo. Nec alit
fecit, ac dixit, in alium penitus hom
ne

em mutatus. Ecce! inferni contemplationem Consiliarium, quem Princeps hic tota vita sua, totaque in aula on habuit fideliorem utilioremque. Iuic & nos aures præbeamus, nisi sero imis sapere velimus.

Consilia Inferni Speculativa.

Dehisce igitur tellus & intima inferni pande ostia, ut omnes videant, quem rogum cenderit divina Nemesis, dæmonum superbia hominum impietate irritata. Quid est inferis? Est locus subterraneus damnatis angelis & ominibus paratus, in quo est omnis boni abntia, omnis mali præsentia, omnis pœnæ incleentia, nec ulla, quæ finem afferat, pœnitentia. t ignis, quem ira Dei succendit in centro ter:, ignis sine lumine, carcer sine aere: ubi idquid in mundo cruciat, leve; quidquid crule inter homines est, dulce videri possit. Heic eus punit, quantum scit & valet: & homo sunet, quantum ferre nescit, & tamen debet. æres? immo dubitas? quin forte omnino non edis esse infernum, sed pictam imaginem, porum inventum, & merum phantasma esse cre:? Equidem intellectus varia adversus inferni istentiam, vim torquendi, ac æternitatem ils argumenta objicere potest, varia excogitare ugia, & in cerebro dubia fabricare: sed nil

proficit, quum fides & ratio certos nos de ip
reddat: nec sua ratiocinandi facultate unqua
extinguet hunc focum humanus intellectus, n
pœnam mitigabit, nec expellet timorem: verb
nihil agere valebit contra Omnipotentem, qu
non est consilium contra Dominum. Proverb. 2
v. 30. Fides, quam debemus Deo revelan
nos docet esse infernum. *Tunc dicet his* (Ch
stus Judex) *qui a sinistris* erunt: *Discedite*
me maledicti in ignem æternum, qui parat
est diabolo & angelis ejus. . . Et ibunt hi
supplicium æternum. Matth. 25. v. 41.
clarius loqui potuisset æterna Veritas? an solu
phantasma oculis nostris exhibuit? an hisce v
bis pictam duntaxat imaginem nobis objec
Verba hæc nullam interpretationem, null
exceptionem, nullam contradictionem admittu
Facile fidem adhibes Christo Judici eodem
loco dicenti: *Venite benedicti Patris mei, p*
sidete paratum vobis regnum a constitutio
mundi. . . Ibunt justi in vitam æternam. C
dis eos, qui pie ac juste vixerunt in hoc secu
& in gratia Dei sunt mortui, in cœlum esse
cipiendos, æternisque ibi gaudiis fruituros.
cur non credis, impios & sceleratos, ex hac v
sine vera pœnitentia migrantes, in infernum
præcipitandos, & ibi sempiternis pœnis torqu
dos? Utrumque eadem Veritas eodem in l
diserte prædixit ac prænunciavit: utrumque
vinam commendat justitiam, non secus ac hu
nam, quæ bene meritis prœmium, supplici
maleficis decernit. Putasne, Christum vera p

mi

misisse gaudia virtuti, vitio autem ficta duntaxat supplicia esse comminatum? proborum animos certa spe beatitudinis, improborum vero falsa damnationis æternæ imaginatione implere voluisse? Quem Deum tibi fingis miser! nunc veracem, mox fallacem: nunc serio agentem, mox jocantem ac ludentem? Non ita est. Idem, qui sententiam damnationis tulit in improbos, est summe verax, & summe potens: potest ergo damnare, & certo damnabit, quia dixit. *Ipse dixit, & facta sunt.* Psalm. 148. v. 5.

II. Fortassis autem & de cœlo dubitabis, num sit locus aliquis æternæ beatitudinis, animabus justis post exantlatas hujus seculi miserias, & vitam sancte transactam destinatus, in quo Dei conspectu, & omni deliciarum genere fruantur? Sed dic mihi, quid opus fuisset, Dei filium e sinu Patris in terram descendere, hominem fieri, tantos labores sudoresque profundere prædicando, mira patrando, tormenta & crudelissimam mortem sustinendo, ut homines a via lata perditionis ad arctam supernæ beatitudinis perduceret? Quid opus fuisset, pretiosissimum e venis omnibus sanguinem fundere ad ultimam usque guttam, & ignominiosæ crucis subire patibulum, si nullum esset cœlum, & beatitudo sempiterna, ad quam verbis, exemplis, prodigiis, immanissimis, quos amore nostri perpessus est, cruciatibus omnes & singulos homines invitavit? Quid opus fuisset, ut Prophetæ, prædicerent, Apostoli ubique prædicarent, & tot sancti cruentis

vestigiis contenderent cœlum consequi, & post hanc vitam ad meliorem cœlestemque transferri hujusque rei gratia paupertatem, famem, sitim contemptum, ignominiam, supplicia & mortem acerbissimam sustinere, etiam cum gaudio & exultatione, si regnum cœleste nil nisi figmentum foret, vel gaudium imaginarium, vel ad aliquod breve tempus duntaxat sui copiam faceret, cito interiturum? Si jocando passi sunt, credantur & jocando locuti: sed joci non sunt, ubi supplicia intercedunt. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. v. 12. dixit æterna veritas. Quis vero vim sibi inferat pro mero phantasmate, pro imaginationis ludibrio? Quam vere autem cœlum est, seu patria beata proborum meritis præmiandis condita, tam vere infernus est, carcer & rogus improborum sceleribus vindicandis puniendisque destinatus. Fidei suffragatur recta ratio. Adest universalis de hac veritate consensus SS. Patrum, Conciliorum, Virorum & ingenio, & doctrina, & morum sanctitate summe conspicuorum, Christianorum per omnes mundi plagas dispersorum, qui desiderio cœlestis beatitudinis ad virtutem ac probitatem vitæ exstimulantur, horrore autem inferni, a vitiis & vitæ improbitate absterrentur. Huic universali consensui, tam intime bonorum omnium cordibus insito, quemque recta ratio sequendum dictat, præjudicare nequeunt pauci homines flagitiosi, quos nonnisi vitæ licentia & impune peccandi libido ad infernum in dubium vocandum, aut omnino negandum, reclamante licet conscien-

tia

tia perducit, nolentes credere, quod experiri formidant.

III. At non ita crudelis eſt Deus, inquies, ut creaturas ad imaginem & ſimilitudinem ſuam conditas inferno addicat, & æternis ignibus cruciet: ut earum tormentis oculos ſuos ſatiet, & nullis precibus, nullis gemitibus exorabilem ſe præbeat, ſed ſempiterno eas & implacabili odio proſequatur. Quis adeo triſtem, aſperam immitem ac truculentam de Deo ſumme bono, omnisque bonitatis fonte ideam in animo ſuo concipiat? Poteſtne peccatum, & mandatorum transgreſſio aliqua ab homine fragili tot inter pericula & occaſiones malas commiſſa tanti eſſe momenti, ut cruciatus mereatur tam intolerandos, & ſine fine duraturos? Mallem nullum credere Deum, quam adeo ſeverum Judicem fingere. Sed parcius iſta, o homo Chriſtiane! Non Deus crudelis eſt, ſed tu crudelis in Deum, & te ipſum, qui talia vel ore, vel animo volvis. Verum eſt, creaturæ Dei ſumus ad æternam beatitudinem ab ipſo conditæ, filii & hæredes regni cœleſtis deſignati: animam immortalem, ac omnis boni capacem nacti ſumus. At hoc ipſum eſt, quod ejus vindice manu & odio ſempiterno dignos nos reddit, ſi poſt tantum tamque grande beneficium, poſt tot gratias collatas, poſt tot paterna monita & comminationes ſerias, poſt tantam patientiam, & veniam toties indignis clementiſſime oblatam, ob res nihili, ob turpe aliquod lucrum, ob vanam honoris ſpeciem, ob momentaneam delectationem ejus man-

mandata petulanter transgrediamur, tantæque majestatis iram in nos ultro provocemus. Plus dico: non solum condidit nos Deus, sed dum jam omnes peccato originali eramus perditi, de cœlo descendit e sinu Patris, & gloriæ suæ throno, humanam carnem induit, ac morte funestissima, profusoque sanguine nos ab inferno redemit, ut vitæ æternum beatæ ac cœlestis gloriæ participes nos faciat. Et tu crudelem esse in puniendo Deum asseris, si post tam inexplicabilem bonitatem creaturas ingratissimas, sibi rebelles, refractarias, impias, atque infinitatem majestatem odio & contemptui habentes, ejusque sanguinem pretiosissimum conculcantes denique a se abjiciat, & in infernum jam antea promeritum præcipites agat?

IV. Finge opilionis aut miseri Codri filium, quem e sordibus casæ suæ ac centonibus cunarum potentissimus quidam ditissimusque Monarcha extrahit, in aulam suam transfert, instar filii adoptivi & hæredis regni sui educat, alit, in amoribus & deliciis habet, quin etiam in captivitatem ab hoste suo abstractum ut redimat, filii sui unigeniti vitæ ac sanguini nequaquam parcit. Et quid iste vilis menalca? post hæc omnia spernit Monarcham, jugum ejus excutit, dorsum obvertit, regni deliciis præhabet ruris sordes, odit, aspernatur, & tantum in se amorem ac beneficia nonnisi malefactis & summa ingratitudine compensat. An tu crudelem & injustum dixeris Monarchum, qui post omnia necquidquam tentata, & adhibita remedia, quibus sordi-

ſordidum hunc homuncionem ad meliorem reducat viam, denique illum carceri perpetuo mancipet, & exquiſitis tormentis per omnem vitam ſuam tortoribus cruciandum præbeat? compara Monarcham hunc hominem cum divino Monarcha, cœli terræque Domino: compara creaturam viliſſimam cum menalca paupere: compara contemptum & offenſam infinitæ majeſtatis cum pœna ſimiliter finem non habitura. Si qua in re hac crudelitas, neutiquam iſta eſt in Deo tam benigno, tam ſerio volente ut omnes homines ſalvi fiant: ſed eſt crudelitas in ipſo homine non ignaro, quid debeat creatori, Redemptori, ac Patri ſuo, non ignaro pœnæ improbis conſtitutæ, ſed omnibus inſuperhabitis perire ac æternum perire ſumma cum audacia ſimul ac ſtultitia volente. Si pœnarum æternitas tam multos abſterrere non valet a vita ſcelerata, quæ viam pandit ad infernum, quid fieret, ſi ad tempus ſolum duraturas ſcirent? ſi crederent, poſt decem aut viginti annos ſeſe e carcere ac foco infernali liberandos, cœloque inferendos, & æquali cum angelis ac beatis ſorte, omniqne beatitudine per totam æternitatem tunc fruituros eſſe, an metus hic ſatis potens foret ad impios in officio Chriſtiani hominis continendos? O gens incredula! Si æternæ Veritatis verbis non credis, cui tandem credes? Hæc ipſa incredulitas te damnabit, non ſecus ac olim Epulonem divitem, qui non credidit, donec eum in locum pervenit, ubi credere debuit. Audiamus ultimam ac memorabilem parabolæ illius, quam Chriſtus apud

Lucam

Lucam c. 16. proposuit, appendicem: *Rogo ergo te Pater* (clamabat mediis e flammis Epulo ad Abrahamum) *ut mittas eum* (nempe Lazarum) *in domum Patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: habent Moysen & Prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non Pater Abraham: sed siquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: si Moysen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexit, credant.*

V. Descendamus modo profundius cum Isaia: *Vadam ad portas inferi* c. 38. v. 10. & videamus, quid rei & loci sit infernus: lustremus hunc locum tormentorum attentius, prout eum describunt SS. Literæ, testes veritatis omni exceptione majores. Hæ communi & velut proprio nomine illum appellant IGNEM. *Discedite a me maledicti in ignem æternum.* Matth. 25. *Ignem succendisti in furore meo: usque in æternum ardebit.* Jerem. 17. v. 4. Nimirum fulmen illud, quo Lucifer cum choro rebellium angelorum e cœlo præceps datus est, in terræ visceribus accendit rogum illum, sceleratis quoque hominibus paratum, nunquam extinguendum. *Videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem*, inquit ipse Dei Filius Luc. 10. v. 18. Terribilis fuit ille lapsus Luciferi: nec minus terribilis erit ille damnatorum. Ut de hoc solum loquar, distat superficies terræ ab ejus

cen-

centro, in quo infernus, 860. milliaria circiter. Cogita jam, quanto cum impetu, quantoque cum fragore per tam ingens ſpatium prolata a Judice divino damnationis ſententia præcipites ruituri ſint infelices in ſtagnum hoc pice ac ſulphure liquato plenum, undique flammis bulliens, torquendi ibidem a miniſtris divinæ juſtitiæ a dæmonibus in æternum. Atque ignis iſte licet materialis, a Dei omnipotentia præditus eſt virtute urendi non ſolum corpora humana, ſed etiam animas, quamvis ſubſtantias ſpirituales, miris ſane modis, ſed omnino veris, ut loquitur D. Auguſtinus. Nam is ipſe Deus, qui vim urendi corpora ſanctorum trium puerorum in fornace babylonica ademit igni, an non poterit vim urendi etiam animas damnatorum tribuere igni in fornace inferni? Dic mihi, ſi quis ob graviſſimum crimen a Judice damnatus ad rogum certo ſciret, nullam eſſe ſpem veniæ, interea vero duobus vel tribus annis ante ardentem rogum & continuo ſuccenſum ſtatueretur vinctus, atque ita ſupplicium exſpectare cogeretur, an non graviſſime doleret anima, quum corpus adhuc nihil pateretur ab hoc igne? dolor qui dicitur corporis, magis ad animam pertinet. Animæ enim eſt dolere, non corporis. Dolet itaque anima cum corpore eo in loco, ubi aliquid contingit, ut doleat: corpus autem nec exanime dolet, nec animatum ſine anima dolet. Animæ facultates ſunt memoria, intellectus, & voluntas. An non memoria toto illo tempore torqueretur viva illa repræſentatione ejus, quod futurum eſt?

Intel-

Intellectus quoque cognoscendo ac penetrando gravitatem tormenti: quin & voluntas vehementissime desiderando fugere malum, quod tamen nequit, illudque odio habendo, quod amare non potest. Quid jam fiet, si reipsa in hunc rogum conjiciatur miser, in eoque ardere cogatur, nec tamen moriatur unquam? An non tunc anima simul & corpus dolorem ignis sentiet intolerabilem? Atque hunc ignem eadem Dei omnipotentia conservat & facit, ut urat, nec tamen comburat, ut omne genus tormentorum in se contineat, ut nunquam ardere desinat, nec extinguatur.

VI. Porro ignis inferni, superna virtute Dei vindicantis elevatus varia tormentorum genera in omnes animæ potentias, & corporis sensus sævientia in se complectitur. Percipiamus denuo S. Scripturæ testimonia. Inprimis, licet diu noctuque ardeat focus, horrendæ nihilominus, & plusquam ægyptiacæ tenebræ replent infernum. Abscindit enim Dei manus ab igne ac flammis istis lucem & splendorem, quæ alias sunt proprietates ignis: *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* Psalm. 28. v. 7. *Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum.* Apocal. 14. v. 10. *Mittite eum in tenebras exteriores.* Matth. 22. v. 15. II. Ex hoc foco ascendit ingens planctus & ululatus damnatorum: *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Matth. 13. v. 42. Rugiebat Esau præ dolore venditis pro lenticula primogenitis: & quomodo rugient damnati æternum vendito pro lurida & bre-

& brevi voluptate cœlo? Sedatur lacrymis, egeriturque dolor: ſed non apud damnatos, etſi mare lacrymarum profundant. *Væ vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis.* Luc. 6. v. 25. III. In igne iſto fame ac ſiti intoleranda cruciabuntur improbi: nam *famem patientur ut canes.* Pſalm. 18. v. 7. *Pater* Abraham! mitte Lazarum, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Luc. 16. v. 23. Bibent equidem, ſed quid? *Bibet de vino iræ Dei, quod miſtum eſt mero in calice iræ ipſius, & cruciabitur igne ac ſulphure.* Apocal. 14. v. 10. IV. Fœtor ingens ex hoc ſtagno infernalis ignis prodibit, utpote in quo tot damnatorum corpora velut in faſciculos colligata perpetuo in omnem partem circumaguntur. *Pars eorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.* Apocal. 21. v. 8. *Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum.* Matth. 13. v. 30. *De cadaveribus eorum aſcendet fœtor.* Iſai 34. v. 3. V. Aliud tormentum ſane graviſſimum eſt ſynteréſis ſeu morſus conſcientiæ; *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Iſai. 66. v. 24. Vermis hic conſcientiæ perpetuo mordens eſt triſtiſſima & continuo recurrens recordatio, quod propria culpa & malitia exciderint cœli gaudiis ineffabilibus, & inciderint in pœnas inferni inexplicabiles: quod tot meritorum occaſiones neglexerint, contra tot peccandi occaſiones ſponte arripuerint: quod redemptionis fructum & pretioſum Chriſti ſanguinem in ſe ipſis perditum iverint:

quod

quod gratiam Dei & veniam toties oblatam spreverint, & hæc omnia ob miseras & tam cito perituras mundi voluptates: quod pœnitentiam ad tempus in hac vita agere noluerint, nunc vero impœnitentiæ pœnam æternam sustinere cogantur. *Et ignis eorum non extinguetur.* Hæc cogitatio vel maxime cruciat damnatos. *Nam in diebus illis quærent mortem; & non invenient eam: desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis.* Apocal. 9. v. 6. Erit tamen mors aliqua suo modo, scilicet sempiterna mors, quum vivere anima non possit Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. Quid vero est, ignem non extinctum iri? Est infernum esse duraturum æternum; & hoc ipsum quid est, nisi esse duraturum, quamdiu Deus erit Deus. Postquam transierunt plurima millia millionum annorum, quot folia in arboribus, quot gramina in campis, quot arenæ in littore maris, quot guttæ in oceano, inferni pœnæ finem non accipient, sed rursus incipient, quum quot passus in æternitatis itinere feceris, semper tot erunt iterum faciendi, & tantundem itineris iterum restat emetiendum. Æternæ erunt animæ, æterna corpora torquenda, æterni tortores dæmones, æternus ignis, æterna Dei punientis justitia. Vide sis o peccator, quam sit *horrendum incidere in manus Dei viventis.* ad Hebr. 10. v. 31.

VII. Omnium tamen gravissima damnatorum pœna est, quæ *pœna damni* vocatur, & in æterna jactura cœli ac divini conspectus consistit. Con-

Conſpectus Dei, ſummi Boni, eſt mare illud immenſum, in quo quidquid pulchrum & amœnum, quidquid delectabile, quidquid pretioſum, quidquid magnificum, quidquid perfectum & ſanctum eſt, continetur. Hoc Bonum intuendo ſemper lætantur, nunquam ſatiantur & Angeli & Beati a tot retro ſeculis, & in tot ſecula ſine fine futura. Hoc intuendo rapiuntur in amoris extaſin, & amando plusquam ad focum cera colliqueſcunt. Hoc intuendo ſimul omnes, easque puriſſimas ſenſuum voluptates percipiunt, ſine ulla admixtione triſtitiæ aut moleſtiæ, ſine ullo timore unquam amittendi tantum Bonum. Sed eheu! hæc omnia, quæ tam facile potuiſſet obtinere, tam ſtulte ac malitioſe perdidiſſe, & æternum perdidiſſe ſe videt damnatus: quantus dolor! & jactura hæc irreparabilis diu noctuque ante oculos ejus verſatur; nulla enim in inferno quies, nullus ſomnus, nullum reſpirandi tempus conceditur: quantum tormentum! Interea Deus ille, qui mera eſt Bonitas, qui ab orbe condito ſolem oriri facit ſuper bonos & malos, qui amore inimicorum ſuorum, nempe peccatorum, crudeliſſimam mortem ſubiit, ille inquam Deus poſt tanta beneficia & ſigna amoris ſui ne ictu oculi damnatum hominem dignabitur, nec ullam amplius ſui ſanguinis guttam depluet ad extinguendos inferni ardores, nec ullum miſericordiæ ſuæ radium indulgebit: immo potenti ac vindice manu ſua per totam æternitatem non ceſſabit ferire in rogo gehennæ gementem ac ejulantem animam, quam tamen ad

imaginem & fimilitudinem fuam creavit, eique velut divinitatis fuæ figillum impreffit: quantus horror! Deus ille, qui animam creavit eo fine ut poft hanc vitam eum poffideat intuendo & amando in æterna felicitate, ad quem finem confequendum tot media fubminiftravit, nunquam illi fruendum fe indulgebit, fed æterno profequetur odio, & velut e finu fuo ejectam omni jure cœleftis hæreditatis, quin omni fpe privabit, quam jacturam nullis votis, nullis fufpiriis reparare poterit. Audiamus tantisper hæc animæ fufpiria, quando poft fatalem damnationis fententiam ultimo cœlum intuebitur. Nonne inter amariffimas lacrymas, & gemitus profundiffimos hoc trifte dicebit vale: Valete fidera lucidiffima, quorum lumen non amplius videbo: Valete angeli, quorum loco habitandum mihi erit cum dæmonibus: Valete cives cœleftes, Sancti Dei, quorum lætiffimo confortio, & colloquio fuaviffimo æternum privabor: Vale & tu o Maria, quam fæpius quidem Matrem falutavi, fed nihil minus egi, quam quæ filium decebant: Vale Redemptor, cujus pretiofus fanguis mea ex culpa in me periit: Vale Deus; ferio quidem tu falvum me voluifti, ego autem ex propria malitia falutem amifi. Laudent te & glorificent Angeli & Beati in cœlo: ego infelix creatura execrabor, & blafphemabo te cum damnatis in inferno. Hoc triftiffimo vale dicto inter horrenda tonitrua & fulgura in ictu oculi damnata anima ruet ad tartara, ubi *Peccator videbit, & irafcetur; dentibus fuis fremet & tabefcet:*

defi-

desiderium peccatoris peribit. Psalm. 111. v. 10.

Consilia Inferni Practica.

I. Recte admonet mortales singulos Psaltes Regius: *Descendant in infernum viventes.* Psalm. 54. v. 16. nimirum sæpe ante oculos ponendo infelicem illam damnatorum & pœnarum patriam, ne scilicet descendant in infernum morientes. Memoria enim inferni admodum salutaris est & probis & improbis: probis quidem, ut in timore Dei semper perseverent: improbis, ut timere Deum tandem aliquando discant, utpote *qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Matth. 10. v. 28. Probos excitat hæc memoria, ut per vitæ integritatem & virtutum actus, atque solicitam salutis suæ curam longissime ab inferno discedant: improbos vero salutis incurios, & frena cupiditatibus suis laxantes retrahit a præcipitio, in quo jam unum fere pedem fixerunt: probis servit ad grates summas Deo agendas, quod hucusque illos a tot periculis in barathrum hoc prolabendi infinita misericordia sua præservarit: improbis, ut corde contrito & humiliato justitiam divinam cervicibus eorum imminentem placare studeant, ne toties peccando toties promeritam æternæ damnationis sententiam in ipsos pronunciet: probos continuo stimulat ad viam arctam & angustam, quæ ducit ad cœlum, alacriter currendam: improbos autem, ut a via lata & spatiosa, quæ ducit ad interi-

teritum, pedem referant, & in viam regiam mandatorum, dum tempus est, revertantur. O quanta Dei miserentis bonitas! quæ si non fuisset, *paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Psalm. 93. v. 17. Sed eheu! quam parum in hac vita curantur a plurimis inferni pœnæ futuræ, quæ tantopere torquebunt in altera præsentes. Contingere nobis solet, quod oculis nostris. His objecta apparent magna, quæ sunt propingua: parva vero & exigua, quæ longius remota. Ita in præsenti vita bona temporalia quæ conspectui nostro quotidie obversantur, videntur magnum quid esse, inferni vero pœnæ quas longe distare credimus, leve aliquid: præsentia lucra & voluptates summa aviditate inquirimus, futura damna & cruciatus flocci pendimus. At cum tempore (& quis scit quali, quantoque) hæc apparebunt nimis quam grandia, illa vero nullius momenti. Tunc gemitus, tunc ploratus eorum, qui prius petulanter tripudiabant. Tunc audientur tristia illa damnatorum verba apud Sapientem c. 5. v. 27. &c. *Ergo erravimus a via veritatis* . . . *lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* (ecce lamenta!) *Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquam umbra* . . . *Sic & nos nati desivimus esse, & virtutis nullum signum valuimus ostendere: in malignitate autem nostra consumpti sumus.* (ecce caussas damnationis, superbiam,

iam, avaritiam, voluptatis ſtudium, & virtutis eglectum) *Talia dixerunt in inferno hi, qui eccaverunt, quoniam ſpes impii tanquam lanugo, quæ a vento tollitur . . . & tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis.* (ece pœnitentiam fructu carentem) O quam ſalurior fuiſſet miſeris iſtis memoria futurorum, uam præteritorum: hæc poſterior memoria nil iſi tormentum illis affert, dum prior memoria alutem & felicitatem perpetuam afferre potuiſet. Viſus eſt D. Chryſoſtomo Deus propterea gehennam condidiſſe, ut memoria illius, metus pœnæ ac cruciatus intolerabilis homies ad regnum Dei quærendum vel invitos compelleret.

II. Et re ipſa Deus, cujus ſolius eſt prærogaiva, ut ex malo eliciat bonum, ſtatuta in impios inferni pœna chriſtianæ reipublicæ bonum el maxime promovet. Hoc enim freno, quum ibertatem bene vel male agendi adimere homini oluerit, ejusdem licentiam & abuſum vehementer coercet. Quippe inferni conſideratio peccaorum horrorem & fugam ingerit menti, vel non d perniciem ſuam obſtinatæ, vel omnino deſpeatæ. Peccatum eſt maledicta fax illa, quæ rogum infernalem primo ſuccendit, ut patet in eccato Luciferi & rebellium angelorum: Peccaum eſt, quod rogum hunc nutrit. Quid enim liud ignis iſte devorat, niſi peccata noſtra, a prima humani generis origine ad hæc usque tempora in tanta hominum multitudine ſimul ac perverſitate continua velut ſerie ſibi ſuccedentia?

Peccatum est, quod per omnem æternitatem rogum hunc inextinguibilem reddit. Damnati enim nunquam peccare desinunt, etiam in inferno, ubi Deum & Sanctos continuo blasphemant, semetipsos maledictis impetunt, omnique scelerum gravissimorum superbiæ, invidiæ, vindictæ, desperationis, pessimorumque desideriorum genere sese polluunt. Quis ergo non horreat peccatum, si cogitat infernum, cujus caussa unica est peccatum? Tolle peccatum, & sustulisti infernum. Si quis ante ardentem rogum, & fornacem babylonicam statueretur, simulque sciret, se quamprimum ac peccaret, in medias flammas injiciendum esse, quis obsecro peccare auderet? Ardet rogus inferni, succensa est fornax divinæ vindictæ, comminatur hunc serio Deus peccatori, qui nunquam securus est, an non subito post peccatum commissum justo Dei judicio & vita & veniæ spe exuatur. Et tamen pro dolor! sunt, qui non solum peccant, sed etiam peccata peccatis accumulant, singulisque diebus ligna comportant ad faciendam struem, qua demum accensa se ipsos miseri comburant. Profecto quem timor inferni a peccando non absterret, non uno sed pluribus dignus est infernis. Quid igitur? O anima Christiana, si peccandi occasio sese offerat, præsertim si libidinis ignes urant, illum gehennæ ignem his, quæ nunc te exagitant, cupiditatum flammis oppone. Dic cum Isaia c. 33. v. 14. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Hoc, mihi crede, mirum

rum atque efficaciſſimum medicamenti genus eſt, quo ignes ignibus extinguuntur, carnales infernalibus.

III. Verum ſolus inferni timor non ſufficit, ut eum evadas. Etiam fures horrent patibulum, latrones rotam, ſacrilegi rogum, nec tamen unquam in hoc mundo ſcelerati homines deſunt, qui ſuſpenſi crepent, in rotam fractis membris agantur, aut accenſo in rogo comburantur. Duo ſunt vel maxime neceſſaria: unum quod aſſumas, alterum quod abjicias. Quod aſſumas, eſt animæ immortalis cura. Atque inprimis cogitare te velim, unicam habere te animam; hæc ſi ſemel perdita eſt, ſemper perdita eſt. Si rei alicujus in hoc ſeculo jacturam faciamus, ſeu ſit res mobilis ſeu immobilis, ſanitas, fama, libertas, immo ipſa vita temporalis, recuperari denuo poteſt, aut meliore vita compenſari: ſed ſi animæ jacturam, patiamur, nunquam licet eam reſarcire. Nam ex inferno nulla eſt redemptio. Si plures haberemus animas, fortaſſis non adeo deploranda res foret, unam periculo damnationis exponere, quum alia foret, quam cœlo inferre liceret. At ſcimus & credimus, unicam nobis eſſe animam, & tamen eam quaſi unico incertoque aleæ jactu perditam inferno tranſcribimus, quæ hæc inſania? Eſt pater vel materfamilias, quæ unicam oviculam, unicum vitulum, unicum filiolum aut filiolam habet: ſi ex his aliquis vel aliqua caſu aut infortunio pereat, vel moriatur, quantus dolor! quanta lamenta! quanta deſperatio! Et tibi unica eſt anima, ea-

que immortalis, tu vero hanc ipsam peccando pessumdare, diabolo & inferno vendere, propriaque velut manu perimere non horres? Effatum est æternæ Veritatis: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Matth. 16. v. 26. Hoc Indiarum Apostolus S. Xaverius animo suo alte impressum perpetuo circumferebat, illudque ipsum aliis infimi æque ac supremi Ordinis hominibus proponendo, explicando, inculcandoque miros animorum motus & conversiones excitabat. In suis ad Simonem Rodericium, Apostolicum in Lusitaniæ regno virum, literis desiderium singulare palam fecit, ut Rex Lusitaniæ Joannes III. cui notissimus erat Xaverius, hanc ipsam famosam Christi sententiam cordi suo insculperet, hunc in modum ipsi scribens: „ Si mihi promittere auderem, quod Rex „ fidelissimum consilium meum esset probatu- „ rus, rogarem ipsum, ut omni die per horæ qua- „ drantem divinam hanc sententiam meditaretur: „ *Quid prodest homini* &c. Ejusdemque in- „ tellectum cum interno animi sensu a Deo po- „ stularet; neque aliud optarem, quam ut esset „ omnium ipsius precum conclusio. „ Hæc sunt verba Indiarum Apostoli. Quod incomparabilis hic vitæ spiritualis magister a Rege potentissimo tot curis & negotiis occupato poposcit, an non licebit poscere etiam ab aliis longe inferioris notæ ac conditionis hominibus, scilicet, ut aliquoties saltem sepositis tantisper negotiis tempora-

poralibus de solius animæ suæ salute soliciti bene ac intime perpendant: *Quid prodest* &c. spondere ausim: efficacissimum hoc fore remedium evitandi infernum: immo infernum ipsum brevi tempore incolis novis esse destituendum.

IV. Altera cura, quam dixi abjiciendam, est cura nimia summeque noxia corporis, qua huic & sensibus nostris, pravisque affectionibus per omnia deliciarum & voluptatum genera blandiri studemus. Quid enim aliud sunt irritamenta carnis & sensuum, quam alimenta ignis infernalis? *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Apocal. 18. v. 7. Profecto in hac vita quærunt sensus nostri, quidquid placet: in inferno nil sentiunt, nisi quod cruciat. Caro uti scelerum particeps, ita socia erit tormentorum. Torquebuntur oculi, qui prius lasciviebant vagando per illicita & obscœna objecta, ab aspectu dæmonum & contubernalium, quorum alter alterum jam ferre non poterit, quique præ impatientia & rabie sese conviciis & maledictis impetent, eo atrocius, quo in vita per nefas conjunctiores fuerunt in flagitiis. Torquebitur auditus, quem antea suavis musica, laus & adulatio, jocique inhonesti demulcebant, a blasphemiis, quas damnati continuo in Deum, in Beatos, in se ipsos conjiciunt, nec non ab inconditis vocibus & ejulatibus, quasi ferarum immanium rugitu. Torquebitur gustus, qui nonnisi delicatissimis ferculis & potu dulcissimo satiari poterat, canina fame ac siti inextinguibili. Torquebitur odoratus, qui prius speciosis un-

guentis & florum fragrantiæ tantopere inhiabat, a mutuo corporum fœtore, Sulphure, ac cloacæ infernalis putredine. Torquebitur tactus, qui antea tam petulanter vetitis insidiabatur & fruebatur voluptatibus, igne per omnia membra & viscera grassante, igne varia, quæ cogitari possunt, tormenta imitante. *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Duræ sunt hæ ac horridæ corporis & sensuum pœnæ, quando vel solum narrantur: quanto autem duriores erunt horridioresque, si re ipsa infligantur? Molesta est memoria, quid erit experientia ipsa? Quale erit spectaculum Deus bone! videre hominem nobilem, isto mane decumbentem in lecto olorino, strato byssino, ab omnibus cultum, honoratum, adoratum, hoc ipso vespere mortuum in lecto igneo deferri ad gehennam, a dæmonibus conculcari, & in rabiem actum per omnia tormentorum genera volutari? Quantus cruciatus recordari veterum voluptatum, & sentire nunc mare pœnarum acerbissimarum? *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Job. 21. v. 19. Coerceat igitur in hac vita rationis imperio anima corpus, & a deliciis etiam vi facta abstrahat, corpus vero obediat animæ, & ab illecebris sensuum abhorrere discat: secus enim ambo rei pœnas dabunt, & mutuo æternoque se odio prosequentur. Quæ desperatio, si duo capitales inimici eodem in carcere, eademque catena vinciantur, simulque gravissime torqueantur, absque spe separationis per omnem æternitatem! valeant

leant igitur, valeant noxiæ cupiditates carnis, valeant dolosæ sensuum illecebræ! quanto plus nunc blandiuntur corpori, tanto vehementius tunc cruciabunt: in quibus homo nunc impune peccat, in iis ipsis postea severissime punietur. Non erit ibi vitium, quod non habebit sibi respondens tormentum.

V. Studium vitæ vere Christianæ unum e præcipuis est, quod infernum evitandi spem quasi certam præbet. Ad hoc autem opus est, ut cum paucis vivas, non cum multis: *Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.* Matth. 20. c. 16. cum paucis inquam, qui bonis operibus student, qui mundi hujus vanitatem spernunt & cœlestibus inhiant: non cum multis, qui abjecto Dei timore nil nisi terrenis inhiant bonis, sacrata quæque contemnunt, brutorum more carnis & sensuum voluptatibus se totos indulgent, de altera vita & futura sive felici sive infelici parum soliciti. *Intrate per angustam portam*, monet Servator optimus, *quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam.* Matth. 7. v. 13. Quis sine gemitu intueatur, innumeros mortales per hanc viam latam & spatiosam in contemptum Redemptoris sui tam serio monentis ac dehortantis turmatim instar gregis pecorum properare ad barathrum, ac præcipites ruere in infernum? O quam modicus est salvandorum, quam magnus damnandorum numerus. Lustremus tantisper orbem terrarum latissime patentem, & in quatuor partes divisam. Consideremus

Asiam;

Asiam; hanc maxima parte incolunt Turcæ ac Ethnici: horum plerique damnantur. Consideremus Africam; omnes fere sunt heic idololatræ: Judæi & Mahumetani, isti similiter damnantur. Consideremus Americam; hanc inhabitant homines ferarum more viventes; & quamvis ultimis hisce temporibus veræ fidei lumen oriri his in plagis cœperit, Christianorum tamen est minima pars respectu idololatrarum: etiam hi maximam partem damnantur. Superest Europa, cujus incolæ nos sumus: Deo sint laudes! heic reperire erit ingentem hominum copiam, qui non solum vocati, sed electi quoque sunt, qui salvi fient. Sed pro dolor! in hac minima orbis parte quot non sunt hæretici atque Schismatici: ex his damnabuntur quam plurimi: ex Catholicis vero quot non sunt solum nomine tales, qui vivunt sui & Numinis obliti, dequibus Apostolus Paulus jam olim pronunciavit ad Galatas 5. v. 19. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria . . . veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ergo & multi, & valde multi etiam e Catholicis erunt damnandi, sicque implebitur Christi oraculum: *Multi sunt vocati, pauci electi.* Quo ex oraculo sequens documentum deducere licebit: Quis scit aut promittere sibi potest, seclusa speciali revelatio-

latione, an ipſe ingenti damnandorum, an exiguo ſalvandorum numero in æterno illo vitæ ac mortis libro ſit adſcriptus? Quis ſcit, an ut Apoſtolus loquitur, vas miſericordiæ, an vas iræ & furoris Domini ſit futurus? Hæc ſane cogitatio inenarrabili timore artus omnes concutit: neſcio an ſim creatura a Conditore æternum reprobanda & odio habenda: vel æternum diligenda & glorificanda. Quid igitur remedii, quid ſolatii? dicam: Vive cum paucis (vitam vere Chriſtianam & Catholico homine dignam) vive cum paucis: *pauci enim ſunt electi*, ne damneris cum multis: *multi enim ſunt vocati*, ſed quum vocationi non reſpondeat eorum vita, damnandi.

VI. Ut autem reſpondeat vita vocationi, neutiquam ſufficit ſola fides ſine bonis operibus. Non ſufficit eſſe Chriſtianos, & Eccleſiam Catholicam habere matrem, quam parum ſufficiebat Judæis fuiſſe populum Dei, & Abraham habuiſſe patrem ſine operibus Abrahæ. Hinc Servator Chriſtus palam illis edixit, gloriantibus de ſtirpe ac fide Abrahami: *Jam enim ſecuris ad radicem poſita eſt. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Matth. 3. v. 10. Ecce! potiſſimam apud homines etiam Catholicos damnationis cauſſam, arborem bonis frugibus, id eſt, vitam bonis operibus deſtitutam. Non eſt culpa penes Deum vocantem, quod pauci ſalventur, ſed penes homines vocatos, ſi non ſalvi fiant: & ſicut bona voluntas Dei eſt, qua omnes vult ſalvos facere, ita mala voluntas plurimorum eſt, qua ſalvi eſſe nolunt. Quam autem terribile, Deum velle


nos

nos salvare, & nos nolle salvari? Quid sentiremus de homine, cui naufrago & cum undis luctanti porrigeretur remus aut funis ad evadendum e mari & mortis extremo periculo, si ille repudiaret hoc auxilium sponte oblatum, nunquid sentiremus, quod studio velit mergi? Quid diceremus de homine e rupis vertice jam jam ruituro in profundissimam foveam; si manum porrigentis ope nollet uti, nunquid diceremus, quod animo ad casum obfirmato velit præcipitari? Quid proderit nobis, si Deus serio nos vult salvari, nos vero in mari mundano secundam post naufragium tabulam (Sacramentum pœnitentiæ) rejiciamus: si in præcipitio humanæ vitæ, præsertim lubricæ ætatis, auxilia sua & gratiam offerat, nos autem nolimus uti divinis auxiliis, sed oblata repudiemus? Recte dixit Augustinus: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Grande opus creationis Deus sine nobis, sine ullo nostro adjutorio absolvit: sed opus redemptionis & salutis non vult sine nobis perficere, sine nostra cooperatione. Opera igitur nostra vel salvabunt nos, vel damnabunt. O! quam timendum, ne aliquando audire cogamur ab irato Judice, quod apud Oseam Prophetam legitur: *Perditio tua Israel* c. 13. v. 9. Ego, dicet Deus, non defui partibus meis: ego creavi te ad finem nobilissimum, redemi meo sanguine, stola gratiæ sanctificantis te indui in baptismo, innumeris ad salutem mediis sacramentis, inspirationibus internis, auxiliis supernaturalibus te instruxi: si nihilominus periisti, ego partem damnationis tuæ non habeo: *Perditio tua Israel:* tibi soli adscribenda est: periisti, quia voluisti.

VII. Sec

VII. Sed quis tam improbus eſt, & in ſeipſum crudelis, ut æternum ardere in inferno velit, a cœlo, a Dei conſpectu extorris? Igitur manus admovenda eſt operi, quo grandius eſſe non poteſt, ſcilicet ſaluti animæ noſtræ, dum tempus habemus. Ad hoc proderunt ſequentia: 1. Ut vivere ſtudeamus cum paucis, uti dictum eſt, non cum multis, id eſt, ut conformemus vitam noſtram illorum exemplis, quos vivere videmus in timore Dei, & bonæ conſcientiæ teſtimonio, quos videmus charitatis, juſtitiæ ac temperantiæ virtutibus deditos, verbo, qui viam rectam mandatorum Dei ambulant. 2. Ut abhorreamus a falſis eorum dictaminibus, qui cœlum cœli domino, terram autem ſibi relictam putant, qui infernum, vel certe ipſius æternitatem in dubium vocant, vel omnino negant, qui ſacrarum rerum & pietatis chriſtianæ irriſores ſunt, qui emendationem ac pœnitentiam ad vitæ finem usque differunt, rati, tunc aliquot ſuſpiriis cœlum aperiri & infernum claudi poſſe. 3. Ut occurrentia hujus vitæ mala & adverſitates patienter toleremus cogitemusque, ſi nunc tam parum valemus ſuſtinere, quomodo æterna tormenta poterimus ſufferre. Ibi erit una hora gravior in pœna, quam heic centum anni in amariſſima pœnitentia: diſcamus nunc pati modica, ut tunc a gravioribus liberemur. 4. Ut opera miſericordiæ frequenter exerceamus, memores illius: *Qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Marc. 4. v. 24. ut in gratiam redeamus cum inimicis: *Dimittite, & dimittemini.*

temini. Luc. 6. v. 37. 5. Ut in tot periculis perdendæ salutis æternæ constituti refugium quæramus in Dei Matris sinu atque auxilio, clientibus suis semper aperto, semper prompto. Si criminum immanitate turbatus, ait D. Bernardus, conscientiæ fœditate confusus, judicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso, cogita Mariam. Non recedat ab ore, non recedat a corde. Ipsam sequens non devias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras: ipsa tenente non corruis, ipsa propitia ad portum pervenies. 6. Denique, ut intimo cum fiduciæ & amoris sensu, præsertim post sacram synaxin acceptam, aut sub missæ sacrificio, in quo pro totius mundi salute sanctissimum corpus & sanguis Christi æterno Patri offertur, ad Redemptorem nostrum nos convertamus, suspirando: O Servator optime! qui tanta mihi servo indigno beneficia exhibuisti, tanta pro me misero passus es, poterisne paternis oculis intueri, paterno corde sustinere, ut in tam horrenda abysso æternum ardeam, tibi & omnibus electis tuis æternum valedicam? poterisne ferre, ut anima, quæ pretiosi sanguinis impendio tibi stetit, æternum pereat? ubi est misericordia tua, ubi cor paternum? O mi Deus, si vis me punire ob delicta mea, fac hoc in hac vita: heic ure, heic seca, dummodo in æternum parcas.



Consi



Conſiliarius Quartus.

Cœlum.

Siſtit ſe oculis ac menti noſtræ Conſi liarius quartus ſane præſtantiſſimus vultu hilari, læta fronte, toto corporis habitu ad omnem amœnitatem compoſitus, nempe Cœlum & gloria cœleſtis ſpectandam contemplandamque ſe nobis exhibet. De hoc Magnum Auguſtinum loquentem audire juvat: Libet ſane (inquit l. Medit. c. 22.) libet de te loqui, libet de te ſcribere, de te conferre: de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta ſæpius ſub corde revolvere ut vel ſic poſſim ab hujus mortalis & perituræ vitæ ardoribus, periculis & ſudoribus ſub tuæ vitalis auræ refrigeri tranſire, & tranſiens in ſinu tuo feſſun caput dormiturus vel paullulum declinare. Hæc Auguſtinus, qui tot libri ſcribendis occupatus erat, quot vi alius legere poteſt, qui quotidie velu in

in acie ſtabat tot hæreſibus extirpandis intentus, quot vix alius diſſeminare valeret. Nihilominus cœlum in oculis, cœlum in lingua, cœlum in corde perpetuo circumferebat. Profecto quantum animæ Chriſtianæ ſolatium afferat cœli contemplatio, docet nos Anachoreta ille, de quo in Vitis Patrum refertur. Hic auſterioris vitæ ſtudio captus in anguſtiſſimam obſcuriſſimamque cellam ſe ipſum incluſit, & quaſi vivum ſepelivit: modicum panis & aquæ, quod per foramen aliquod ipſi ſubminiſtrabatur per hebdomadem, ægre vitam ſuſtentabat. Plus quam triginta annos hæc vivendi, vel potius ſibimet moriendi ratio tenuit, quum cœnobii Antiſtes demum vi facta cellam aperiri juſſit. Et ecce! Anachoretam, quem fame ac carceris hujus ſquallore diuturno vix non enecatum crediderant, toto corpore vegetum, hilarem, & læta canitie venerandum inveniunt. Tam inſolentis rei cauſſam interrogatus, Fratres ſuos ad rimam in muro hiante patentem deduxit: & cur non, aiebat, abundans gaudio & hilariter vixerim,

quum per hanc rimam quotidie saltem aliquam cœli particulam & veluti frustillum intueri hucusque mihi licuerit; in quod tanquam sedem & patriam omnibus deliciis affluentem deposita corporis hujus sarcina me perventurum per Dei gratiam certissime confido. Deus bone! tantum potuit in homine isto modica cœli portio per rimam conspecta: & quem in nobis sensum excitet amplissimus cœli campus, tot stellis quasi gemmis distinctus? tot facibus accensis, quot sideribus illustris? Diversissimos excitavit olim sensus cœli contemplatio in Ignatio Patriarcha, & Luthero hæresiarcha. Primus sudum noctu cœlum madentibus præ gaudio oculis intuens: *quam sordet mihi terra*, inquiebat, *dum cœlum aspicio!* Alter in idem cœlum eodem nocturno tempore lividos torquens oculos: *Martine, Martine*, gemebat, *quam pulchram perdidisti patriam*, & *æternum perdidisti!* Cum quo ex istis duobus cœlum contemplari optamus? optimum dabit consilium ipse Consiliarius noster, seu cœlum.

Consilia Cœli Speculativa.

I. Vale Munde immunde! ad cœlum avolo, & cum Regio Propheta suspiro: *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.* Psalm. 83. v. 2. Nulla profecto res est toto in mundo, quæ dignior sit nostro desiderio, quam cœlum: immo hoc solum. Vita nostra est peregrinatio: *Quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino.* 2. Cor. 5. v. 6. ab infantia in adolescentiam, ab adolescentia in virilem ætatem, a virili in senectam, a senecta (vel citius) ad tumulum pergimus: neque heic quietis esse licet, restat adhuc iter totius æternitatis. Quis vero peregrinantium non desiderat patriam? Vita nostra est navigatio: modo secundis, modo adversis provehimur ventis, jactamur ab undis & fluctibus hujus seculi nunc hanc, nunc illam in plagam: modo in syrtes & vortices delabimur, modo in scopulos & cautes impingimus, nunquam a naufragio securi. Quis navigantium non desiderat portum? Vita nostra est militia: *Militia est vita hominis super terram.* Job 7. v. 1. Continuo in armis standum est, & pugnandum adversus hostes visibiles & invisibiles: modo contra fures & latrones, contra piratas, proditores, æmulos, inimicos, modo contra tempestates, pauperiem, adversitates & morbos: modo contra dæmonum insidias, carnis & mundi illecebras, & mille sa-

lutis pericula. Quis militantium non desiderat victoriam & prædam? Quæ autem patria est, ad quam peregrinamur, nisi cœlum? quis portus, ad quem tendimus, nisi cœlum? quæ victoria & præda, pro qua militamus, nisi cœlum & gloria cœlestis? Cœlum est domus illa, de qua loquitur Propheta Baruch c. 3. v. 24. *O Israel, quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus? magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus.* Qui domum conducit, prius eam inspicit, omnia lustrat, an sit firma, an commoda, an gustui satisfaciat: præcipue vero, an diu habitare in illa possit, quum nihil molestius accidat, quam si quis mutare itentidem, aliamque cum impedimentis suis habitationem quærere cogatur. *Non* autem *habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus*, ut monet Apostolus ad Hebr. 13. v. 14. Domus nostræ, qualescunque demum sint, etsi commodissimæ splendidissimæque, satis firmæ tamen non sunt, nec stabiles: mors modo hunc, modo illum incolam ædibus suis expellit: in fine ipsa domus (seu corpus) corruit & in cineres abit. Solum cœlum est habitatio illa, quam nullus ventorum turbo infestat, nulla aquarum inundatio subruit, nulla vis flammarum dissolvit, nulla vetustatis ruina subvertit: Cœlum est stabilis illa sedes & patria, de qua Apostolus ad Ephesios scribit c. 2. v. 19. *Ergo jam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum, & domestici Dei.*

II.

II. Quid rei vero eſt cœlum? Qui mercem non novit, aut unionem a vitro diſtinguere neſcit, mercari prudenter haud poteſt, nec juſtum ſtatuere pretium. Quid ergo eſt cœlum? facillima interrogatio, ſed reſponſio difficillima. S. Scriptura & SS. Patres dicunt quidem, cœlum eſſe locum ſummi & immenſi gaudii, non tamen ſatis hoc ipſum explicant, quum intellectus humani acies imbecillis nimium ſit, nec apta, ut capiat, quod nemo capere poteſt, antequam ipſe capiatur ab eo. Fruſtra fores, ſi cæco a nativitate velles deſcribere palatii cujusdam regii magnificentiam, veſtium formas pretioſas, colorum pulchritudinem, amœnitatem lucis & camporum. Cæci ſumus a nativitate ad intuenda cœleſtia, & velut oculo utroque orbati: Sola fides eſt, quæ cœlum eſſe nobis perſuadere, ſola ſpes, quæ ad illud conſequendum nos accendere, ſola charitas, quæ tantum bonum comprehendere poteſt. Ipſum tamen hoc bonum tranſcendit omnem fidem, omnem ſpem, charitatem omnem: conſequi poſſumus, pro merito tamen æſtimare non poſſumus. Si de aliis rebus omnibus loquamur, ſatis multa loqui valemus; at de cœlo nunquam ſatis, quia ſemper, quod loquamur, reſtat amplius. Ut paucis dicam, quid rei cœlum ſit, nemo reſpondere poteſt, niſi qui videt ipſemet, ac in eo habitat. Vos beati cives, & cœli incolæ, vos ſoli eſtis, qui dicere nobis poteſtis, quid cœlum ſit. D. Paulus, ubi brevi temporis ſpatio in cœlum raptus fuit, exclamare auditus eſt: *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec*

in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis, qui diligunt illum. 1. Cor. 2. v. 9. Quam non pulchra & delectatione plena objecta viderunt omnium hominum oculi simul juncti ab orbe condito? quam suavia & dulcisona audierunt omnes aures? quam mirabiles rerum amœnissimarum ideæ ac formæ ascenderunt in omnium hominum corda? Sed bone Deus! Si hæc omnia comparentur cum cœlo, ejusque gloria, nugæ sunt, quisquiliæ sunt, nihil sunt. Facilius dicere possumus, quid ibi non sit, quam quid ibi sit. Non est ibi mors, non est ibi luctus, nulla infirmitas, nulla fames, nulla sitis: non est ibi æstus, non frigus, non corruptio, non indigentia, non tristitia, nulla invidia, quia in omnibus regnat perpetua voluptas & charitas. *Et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum* (nempe Beatorum) *& mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt, & dixit, qui sedebat in throno: ecce, nova facio omnia.* Apocal. 21. v. 3.

III. An igitur nulla superest via dicendi, quid cœlum sit? una solum mortalibus nobis patet, scilicet ea, quam rationis & fidei lumen pandit & monstrat. Dicamus ergo aliquid, ne nihil omnino dixisse videamur. Cœlum est grande opus Omnipotentiæ ac Liberalitatis divinæ, atque vastissimum magnificentissimumque palatium, quod Deus sibimetipsi, Angelis & Beatis ad habitationem ac delectationem perpetuam struxit. Est locus,

ubi

ubi omne gaudium ſine ulla triſtitia, ubi omnis voluptas ſine ulla moleſtia, ubi vita æterna ſine omni mortis & jacturæ metu regnat. Eſt campus, ubi plena ſatietas deſideriorum & ſenſuum noſtrorum invenitur. Eſt mare deliciarum, e quo ſi vel unica gutta in infernum decideret, omnem tormentis illis amaritudinem auferret. Si cœlum conſideremus exteriore ſui facie, quam nobis indulget, videmus duos illos lucidiſſimos mundi oculos, ſolem de die, de nocte lunam: videmus innumeras fulgentes ſtellas, quæ inſtar gemmarum late patentem cœli aream ſeu firmamentum exornant. Hæ ſtellæ ſingulis diebus pulcherrimo ordine circa ſubjectum ſibi orbis globum ſe ſe gyrant, & ut Pſalmiſta loquitur, *Enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Pſalm. 18. v. 1. Quodſi vero cœlum exterius adeo ſplendidum adparet, quod nonniſi atrium eſt & propyleum cœleſtis Solymæ, qualis erit interior ejusdem facies? Hanc nulla humana lingua exprimere, nec ullus deſcribere calamus poteſt. Coloribus duntaxat mortuis mundanarum rerum, obſcurisque figuris eam depingi neceſſe eſt. Evangeliſta Joannes in ſua Apocalypſi c. 21. v. 18. cœlum deſcribit ſub imagine civitatis Hieroſolymæ: Muros ejus, ait, eſſe conſtructos e lapidibus pretioſiſſimis, portas meris margaritis exornatas, compita puriſſimo auro ſtrata, in quibus nihil audire ſit, quam jubila & jucundiſſimum Alleluja: habitationes & palatia eſſe lapidibus quadratis e ſapphiro ædificata, aureis tegulis contecta, nec ulli

ulli patere aditum in ea, nisi omni labe carentibus: non ibi esse unquam noctem & tenebras, sed diem perennem & lucem fulgidissimam, non a sole, luna vel stellis, sed ab ipso luminis auctore Deo, ac sole justitiæ undique diffusam; omnesque illuminari plateas ab immaculato Dei Agno: hunc media in civitate sedem figere ac eminus conspici, atque a choris Angelorum, Confessorum ac Virginum circumdari, a quibus perpetuo hymnis & canticis celebraretur, ipsi vero vicissim ejus conspectu æternum lætarentur: Esse quidem diversitatem classium inter beatos cives & incolas, quorum aliqui altiore in gradu, inferiore alii essent constituti, communem tamen omnium esse lætitiam & felicitatem summam.

IV. Hanc lætitiam, felicitatemque modo accuratius & veluti per gradus contemplari juvat. Ac primo quidem gaudium illud se se offert, quod sensus & corpora Beatorum percipiunt. Corpus, quod in hâc vita tot infirmitatibus, morbis, vulneribus, putredini obnoxium fuit, quatuor gloriosis dotibus vestitum comparebit. Prima est *Immortalitas* seu *impassibilitas*. Nam ut Apostolus 1. Cor. 15. v. 42. de resurrectione Beatorum agens loquitur: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria, seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale.* Erit enim ibi a morte perpetuo immunis, atque idcirco etiam a morbis, doloribus & afflictionibus,

utpo-

utpote mortis ſatellitibus: immo ut idem Apo-
ſtolus teſtatur ad Epheſ. 4. v. 13. Beatorum cor-
pora, ſive ut infantes ſive ut ſenes ex hac vita
deceſſerint, ſurgent in flore ætatis perfectæ: *in
virum perfectum, in menſuram ætatis pleni-
tudinis Chriſti.* Secunda eſt *Subtilitas*, qua
obvia quævis non minus ac ſol vitra pervadere
poterit. Ita Chriſti glorioſum corpus, etſi oſſi-
bus ac carne conſtiterit, ſepulchri lapidem, clau-
ſamque januam penetraſſe legimus. Tertia *Agi-
litas.* In hac vita pondus corporis aggravat ani-
mam, quo minus hæc illud in omnem qua vellet
partem impellere queat. At Beati celerrime ibi,
ubi eſſe volent, erunt: ante thronum Dei, in
reliquorum ſanctorum conſortio, in cœlo & in
terra, velocius ſagittis & volucribus ſine ullo ſtre-
pitu tranſeundo inſtar Angelorum. nam in re-
ſurrectione *erunt ſicut Angeli Dei in cœlo*.
Matth. 22. v. 30. Quarta dos eſt *Claritas*.
Transparebit enim ſicuti cryſtallus, plenum lu-
mine illo, quod a ſole juſtitiæ emanat, & non
ſecus ac ſol in ſpeculo relucet. *Fulgebunt juſti,
& tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent.*
Sap. 3. v. 7. Quantum ad ſenſus attinet, *Viſus*
hauriet gaudium maximum ex aſpectu formarum
& mentium pulcherrimarum. Rachelis tanta
erat pulchritudo, ut Jacobo digna fuerit viſa
ſervitio quatuordecim annorum, donec ea potitus
fuerit. Quale gaudium erit continuo aſpectu
frui tot beatorum, tot angelicorum ſpirituum,
ipſius Chriſti, ac Dei unius & Trini? Præterea
quidquid eſt viſu delectabile in hoc mundo,
pra-

prata, sylvæ, horti, theatra, palatia &c. long perfectiore nobilioreque modo ac forma Beato rum oculis in cœlo quotidie ac sine satietate ob versabuntur: propterea vocatur terra visionis *Vade in terram visionis.* Gen. 22. v. 2. *Gustu* gaudium percipiet non breve illud & sæpe no xium, quod in hac vita ex cibo opiparo & pot delicato percipit, sed spirituali delectatione ple num. Pluet enim Electis cœlum manna long nobilius ac suavius eo, quo e nubibus cadent in deserto refecti sunt Israelitæ, continens in s omnium ciborum gustum & saporem: *Angelo rum esca nutrivisti populum tuum, & para tum panem de cælo præstitisti illis sine labore omne delectamentum in se habentem, & omni saporis suavitatem.* Sap. 16. v. 20. *Inebria buntur ab ubertate domus tuæ: torrente vo luptatis potabis eos, quoniam apud te est fon vitæ.* Psalm. 35. v. 9. Non minus *Odorat* suum erit gaudium. Scimus plura sanctorum corpora in terris eo, quo corruptioni maxim sunt obnoxia, tempore, scilicet post morten divina virtute suavissimum odorem profudiss Qualis quamque suavis odor emanabit e tot gl riosis Beatorum in cœlo corporibus? Si corpo animalium, quæ post diluvium Noe in holoca stum obtulit Domino, tam suavem dederunt od rem, ut S. Scriptura testetur: *Odoratusque e Dominus odorem suavitatis.* Genes. 8. v. 2 qualem dabunt sanctorum corpora, viva illa d vinæ Majestatis holocausta? Nonne, exclam bunt Beati, *curremus in odorem unguentoru*

tu

tuorum. Cantic. 1. v. 3. Nec *Auditus* carebit gaudio singulari. S. Joannes in Apocalypsi c. 14. v. 3. testatur se audivisse in cœlo *vocem sicut citharædorum citharizantium in citharis suis, & canticum novum ante sedem Agni divini.* Certe nullus Regum aut Principum in aula sua tam peritos phonascos alit, tamque suavi vocum ac instrumentorum musicorum concentu gaudet, quam in illa supremi Numinis Regia reperitur, ubi continuo tot cœlestium Geniorum chori (qui idcirco Chori dicuntur) una cum Beatis laudes Deo dulcissimis hymnis & canticis persolvunt. Denique *Tactus* maximo fruetur gaudio, non quidem ea, qua in terris ratione. Nam *in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo.* Matth. 22. v. 30. Castis omnia casta, sanctis omnia sancta. Suavissimos in amplexus ruunt ibi beatæ mentes, veluti parentes in filios, sponsæ in sponsos, amici in amicos: purissima invicem oscula dantur & accipiuntur, qualia Paulus 1. Cor. 16. v. 10. describit: *Salutate invicem in osculo sancto*; & id qualia sponsum sponsa apud Salomonem invitat Cant. 1. v. 1. *osculetur me osculo oris sui.* Hæc de sensibus externis.

V. Longe majus erit gaudium in cœlo, quod percipient sensus interni, memoria, intellectus, & voluntas. *Memoria* non amplius occupabitur his terræ quisquiliis ac nugis: jucundarum dierum, quibus fruebatur in juventute, negotiorum splendidorum, quæ gessit in virili ætate, hono-

honorum ac opum, quæ accumulavit, quibusque incubuit in senectute. *Non erunt in memoria priora, & non ascendent super cor.* Isai 65. v. 17. Non amplius dicet: quam bene, quam amœne, quam laute mihi fuit, dum viverem, sed quanta mi Deus! evasi pericula hujus mundi, quam belle ac provide actum est mecum per adversa, tristia, & ardua, quibus cœlum promeritus sum: quam ampla mercede orationes, eleemosynæ, charitatis ac misericordiæ opera, quæ auxiliante Deo exercui, quam ampla inquam mercede, quantoque gaudiorum cumulo heic remunerantur. Gaudemus in hac vita & delectamur recordatione eorum, quæ vidimus curiosa, pulchra & delectabilia, quæ legimus mirabilia, grandia, & vix non fide majora. Sed hæc omnia desipient, dum recordabimur mirabilium Dei operum, quæ non jam a longe, sed coram intuebimur summa cum charitate, ac delectatione, quæ memoriam illam comitatur, & de qua Psalmista loquitur: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus.* Psalm. 110. v. 4. *Intellectus*, qui modo per res creatas hujus universi circumvagatur, intelligens multa, divinans plurima, sed sciens pauca, tunc clarissime in Deo tanquam speculo nitidissimo intuebitur rerum omnium essentias, proprietates, dotes atque virtutes, absque conatu & sine studio. Heic ars longa, vita brevis: ibi vita longa & ars brevis. Rudissimus olim menalcas, nunc cœli incola, perfecte cognoscet velut in momento, quæ tam imman

studi

ſtudio atque ingenii defatigatione Sophi & Aſtrologi inquiſiverunt, nec tamen plene adſecuti ſunt. Intuetur coram mirabilia, quæ in aeris regionibus contingunt, phœnomena, ventorum & pluviarum patriam: fulgurum & fulminum officinam, auroræ cubilia, iridis colores & geneſin, & clare intelliget. Videbit Lunæ phaſes, motum, & maculas: Mercurium & Venerem circa ſolem magnis paſſibus ambulantes, & clare intelliget. Aſpiciet irretortis oculis ipſum ſolem, grandem illum focum, qui terram calore fovet ac luce illuſtrat, ejusque motum celerrimum, circuitum ab oriente in occidentem, gyros ab auſtro in ſeptentrionem, ac mirabilem, quam in hæc ſublunaria exercet, dominationem, & clare intelliget. Cernet planetas reliquos, Martem, Jovem & Saturnum cum lucido comitatu & ſatellitio ſuo, non jam, ut nobis videntur, ſine ordine vagantes: Cometas non jam terrifica facié formidandos, ſed explicata fronte fulgentes: quin parvos illos ſoles & mundi oculos ſeu ſtellas firmamenti & multitudine & magnitudine, ac lucis ſcintillantis fulgore non ſatis admirandas, & clare intelliget. E firmamento autem patebit aſpectus in ſubjectum telluris globum; & ô quam parvum! Punctum eſt exclamabit, punctum eſt o mortales, in quo habitatis, in quo manibus & ingenio tantopere laboratis, in quo navigatis, in quo bellatis, in quo regna diſpenſatis, punctum eſt. De *voluntatis* gaudio quid dicam? breviſſime: adeſt in cœlo omne quod velis, & abeſt omne quod nolis. In mundo nul-

lus

lus est locus, nulla regio, quæ non habeat quidem commoda ex agris, fructibus, hortis, palatiis, commerciis & opibus &c. Sed simul etiam incommoda, & forte plura ex aere insalubri, aquarum eluvione, frumenti inopia, habitationis inquiete, pauperie &c. Solum cœlum est felix regio illa & locus, ubi omnis abundantia sine penuria, omnes amœnitates sine deformitate ac tristitia, omnes divitiæ sine amittendi periculo &c. & hoc semper. *Beatus quem elegisti* (o Deus) *& adsumpsisti: inhabitabit in atriis tuis: replebimur in bonis domus tuæ.* Psalm. 64. v. 5. In mundo nulla est voluptas absque alia molestia vel antecedente, vel comitante, vel subsequente. Sic ut sapiat cibus, fames præcedat necesse est: si quis nimium comedat, contrahit nauseam, si minus, latrat stomachus. Ut sapiat potus, antecedit sitis: plus justo bibitur, adest crapula & dolet caput: parum bibitur, crescit sitis & cupido bibendi. Ut commoda sit quies, prius laborare, seque defatigare oportet: dormitur in utramque aurem, & somnus prolongatur, lassatur magis corpus, quam reficitur: si nimis breve tempus ei indulgetur, caput nebulis plenum est. In æstate calemus nimium, nimium in hyeme frigescimus: ver & autumnum reddit molestum tempestatis variatio, & inde nata humorum intemperies. At in cœlo omnis voluptas sine ulla molestia, nam ut dixi, adest ibi omne quod velis, & abest omne quod nolis. Terrena delectare possunt, satiare non possunt. Per quid ergo, ubi & quando demum satiabitur appetitus noster?

noster? Respondet Psaltes Regius: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. v. 15. Vera felicitas & verum bonum, quod omnes naturaliter appetunt, est id, ultra quod desiderari amplius nihil potest: ubi autem in cœlo possidemus Deum, quid ultra boni desiderare possumus? Non foret Deus summum bonum, si quid ipsi deesset, & sic ultra desiderari posset.

VI. Sed abstrahamus paulisper mentem a sensibus, & altius eam attollamus, atque in spiritu contemplemur, quantum homini fas est, quam immenso gaudio plena res sit, videre Deum sicuti est, nec non jam *per speculum in ænigmate*, sed *facie ad faciem*, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 13. v. 12. O superi! quid hoc est? Est videre Deum illum, qui sibi soli sufficiens tota vixit æternitate, nemini visus, omnique creato consortio destitutus, nec tamen minus beatus, quia solus, nec gloriosus minus, quia absconditus, sed secum habitans in plenitudine perfectionum suarum. Est videre illum, qui omnibus dat esse, & a nemine accipit: qui omnibus dat vitam, nemo ipsi: qui omnibus dat robur & vires, ipse nullius eget. Est videre illum, qui remotissime a nobis distat, & tamen vicinissimus est, qui nullo loco constringitur, & tamen ubique præsens est, qui nullam percurrit ætatem, & tamen omnibus seculis convixit. Est videre illum, qui operatur omnia in omnibus sine defatigatione, & omnia in se continet cum summa perfectione. Præterea in Deo Beati

clare intuentur & admirantur cum inexplicabi
solatio ejusdem prærogativas: pulchritudinem
nulli obnoxiam mutationi, potentiam nulli sub
jectam æmulationi, scientiam a nullo magisteri
pendentem, bonitatem nullis corruptam cupid
tatibus, substantiam sine accidentibus, vitam
sine initio ac termino, nec ulla sui parte circum
scriptam: *Regem in decore suo videbunt oculi*
Isai 33. v. 17. Videbunt Omnipotentiam, qu
solo nutu & verbo unico *Fiat* res omnes in
cœlo & in terra condidit, easque in hanc usqu
diem conservat & regit: sapientiam, qua omnia
& singula ordinatissime disponit, & disposita ac
fines suos velut manu ducit: Immensitatem, qua
totus ubique ac præsens cuncta complectitur
nullis ipse finibus concludendus: Æternitatem
qua ante omnes res creatas & fuit, & cum ipsis
semper erit: Justitiam, qua malos punit, & bo
nos præmiatur secundum æternorum decretorum
consilia absque ullo conditionis discrimine Judex
justissimus: Misericordiam, qua post multipli-
ces etiam gravesque offensas peccatoribus sincera
pœnitentia ad se reversis veniam indulget Pater
misericors: Providentiam, qua per vias mira-
biles & occultas nobis semitas ad finem præfixum
mortalium animos certa destinatione perducit.
Hæc talia tantaque quum videbunt & intuebun-
tur in Deo Beati, eveniet ipsis, quod olim Re-
ginæ Sabæ ad aulam Salomonis delatæ, 3. Reg.
10. v. 4. *Videns autem*, ait S. Scriptura, *Re-
gina Saba omnem sapientiam Salomonis, &
Domum, quam ædificaverat, & cibos mensæ
ejus,*

ejus, & habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & pincernas, & holocausta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra spiritum, dixitque ad Regem: verus est sermo, quem audivi in terra mea super sermonibus tuis, & super sapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipsa veni & vidi oculis meis, & probavi, quod media pars mihi nuntiata non fuerit: major est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audivi. Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam. Hæc ut opinor, & his majora cogitabunt & dicent Beati, ad Salomonis non terreni, sed Divini conspectum admissi.

VII. Necdum satis. Quid ultra videbunt Beatæ in cœlis animæ? Videbunt non ipsum duntaxat Deum, sed simul in Dei essentia tanquam lucidissimo speculo quidquid pulchri relucet in sole ac luna, quidquid placet in stellis, quod blandum arridet in iride, quod rapit in floribus, quod recreat in fontibus, quod sapit in cibis, quod delectat in sono, quamvis nihil horum sit ipse, sed his omnibus majus aliquid & superius. Intuebuntur præterita, præsentia, & futura, quorum omnium Dei essentia est perfectissima & viva imago: immo theatrum est & repræsentatio magnificentissima omnium & singularum creaturarum, quæ ab orbe condito usque ad illius finem pulcherrimo ordine, symmetria, proportione, decore ac mutatione per-

petua sibi succedunt. Hæc videbunt in Deo Beati summa cum claritate, certa cum securitate, incredibili cum delectatione absque satietate ac satietatis termino. Atque visio ista o quam mirabilem in illis effectum producit? Nimirum excitat in cordibus ipsorum ingens incendium, quo in incredibilem tam magni, summique Boni amorem exardent ac rapiuntur, sine ulla tamen violentia, sed vi occulta suavissimaque, qua expedire se jam amplius non possunt. Ita cognoscendo & amando Beati Deum possident, & duobus hisce brachiis, visione scilicet & amore, dulcissime simul arctissimeque complectuntur, omni excluso timore tanti boni unquam per totam æternitatem perdendi. Quid porro? enascens inde voluptas in ipsum se se corpus transfundet, postquam illud in supremo judicii die rursus animæ arctissimo fœdere, nec amplius frangendo jungetur. Hæc voluptas ejus membra immortalitatis veste circumdabit, totumque cœlesti splendore coronabit. Ita Beati videbunt, & experientur, verum esse, quod Abrahamo promisit Deus: *Ego merces tua magna nimis.* Genes. 15. v. 1. Profecto merces major, quam sit Deus beatifica visione & amore possessus, nec dari nec excogitari potest, utpote in quibus duobus ipsius Dei æterna beatitudo consistit, ut se ipsum intueatur, se ipsum amet, in se ipso omnia possideat, *merces magna nimis.* Et hanc mercedem recipient Beati non solum quivis in & pro se ipso, sed etiam in & cum aliis omnibus beatis in felicissima illa societate participabunt. O felicissima

cœle-

cœleſtis Jeroſolymæ ſocietas, cujus caput eſt Chriſtus cœli terræque Dominus cum matre ſua Maria Angelorum Regina: membra vero ſunt Angelici Chori, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, innumerabilis turba: *Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis: ſtantes ante thronum & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna dicentes: ſalus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & Agno.* Apocal. 7. v. 9. O ſuaviſſima converſatio, ubi nulla in tanta multitudine perturbatio, nulla in varietate ac diſſimilitudine æmulatio, amor ſine diminutione aut zelotypia, quæ res humanæ ſocietatis delectationem turbare ſolent. Quam amabilis erit mutuus aſpectus, quam dulces ſermones, quam ſuaves amplexus, ubi regnat amor, qui alterum alterius, & ſingulos omnium beatitudinis participes reddit? Fierine jam poteſt, ut poſt ſeriam cœli cœleſtiumque gaudiorum contemplationem homines inveniantur, qui luteis terræ mapalibus, ac ſordidis voluptatibus delectentur? Fierine poteſt, ut homines inveniantur, vel potius monſtra, quos tanta terrenorum cupiditas captivos teneat, ut ſi optio iis daretur, cœlum aliis relinquere ac vendere mallent, modo in terris perpetuo vivere ipſis concederetur? Ah! fieri non poteſt, niſi apud eos, qui vel nunquam, vel nunquam ſerio de cœlo cogitant. O curvas in terram animas!

Consilia Cœli Practica.

I. Cœlum, quod hucusque contemplati sumus, & o quantum bonum! cœlum inquam conscendere nobis non licet per scalam aut gradus. Vidit quidem Jacob in somno, uti narrat S. Scriptura Genes. 28. v. 12. *Scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cœlum: Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam.* Sed Angeli erant, qui non tam gradiuntur, quam volant. Volatu opus est, ut in cœlum eluctemur. Et ecce! geminas ad hunc volatum alas: prima est frequens & ardens cœli desiderium. Quid dignius nostro desiderio, quam cœlum? Sæpe quidem vehementer iratus fuisse legitur Deus Israelitis ob varia, quæ in peregrinatione sua ad terram sanctam commiserunt crimina, idololatriam, fornicationem, superstitionem, seditionem &c. Sed nunquam vehementius, quam ubi ad Ægyptiacas carnium ollas respicientes terræ a Deo promissæ delicias contempserunt, & *pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Psalm.. 105. v. 24. Nulla certe Deo major injuria accidere potest, quam si cœlum, quod tanta bonitate, tantaque munificentia pro hominibus condidit, quod peccato clausum Dei Filius morte sua rursum aperuit, ad quod nos summa benevolentia quotidie vel ipso aspectu invitat, si inquam cœlum tam parvi pendimus, ut terreno immersi luto vix unquam se-

rio de eo cogitemus, illuc desideria nostra haud
dirigamus, & per bona opera illud acquirere non
studeamus. Si Deus nostro commisisset arbitrio
& optioni, ut post vitam bene peractam postula-
remus mercedem, quæcunque placeret, nun-
quam in mentem nobis venisset, postulare tan-
tam, quanta est cœlestis gloria, eaque sempiter-
na, nec unquam credidissemus, tantum nos bo-
num consequi posse. Sed ecce! ipse offert no-
bis illud, & velut obtrudit: modica exigit obse-
quia, & tam grandia promittit, ac quantum in
se est, largitur prœmia. Temporalia bona diffi-
cile acquiruntur, & acquisita facile dilabuntur,
& quæ possidentur, cum gravi solicitudine custo-
diuntur, ac cum dolore amittuntur, amissa vero
cum omni labore vix recuperantur: cœlestia ve-
ro bona tenuibus operibus in charitate & gratia
Dei factis facile comparantur, comparata fideli-
ter servantur, & semel possessa nunquam amit-
tuntur. Quapropter tam solicite nos admonet
Servator Optimus: *Nolite thesaurizare vobis
thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demo-
litur: & ubi fures effodiunt & furantur.
Thesaurizate autem vobis thesauros in cœlo,
ubi neque ærugo neque tinea demolitur: &
ubi fures non effodiunt, nec furantur. Ubi
enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.*
Matth. 6. v. 20. Deploranda sane ac pudenda res!
pro modica præbenda, ut inquit religiosissimus
Asceta, pro modica præbenda via longa curri-
tur, pro cœlo vix pes a terra levatur. *Sursum
corda!* sursum desideria! Si coelum vel de die

 splen-

splendente sole, vel de nocte lucente luna consideras, si auroram, solis ortum, stellarum fulgentium choros intueris, sta nonnihil, & dic tibi: Quam sordet mihi terra, dum coelum aspicio. Sed perge ulterius & dic: Hoc necdum est coelum, est solum scabellum & atrium Dei & Sanctorum: Si scabellum, si atrium tam est amoenum, quid erit ipsum palatium, ipsa habitatio Angelorum, Beatorum, Christi ac sacrosanctae Triados? Subsiste rursus & tende plus ultra, ad thronum divinae Majestatis, & dic: *Ecce! tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus ejus erunt & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.* Apoc 21. v. 3. O quam inexplicabilis felicitas Beatorum: esse cum Deo, & Deum esse cum ipsis, & aeternum esse. Demum suspira cum Davide *Melior est dies una in atriis tuis Domine super millia.* Psalm. 83. v. 11.

II. Altera, quae ad coelum nos levat, ala est fervens oratio, qua tantum bonum (quod utpote mere gratuitum mereri non possumus, promissum tamen sperare possumus) a Deo optimo ac fidelissimo jugiter efflagitemus. Invitis nobis Deus coelum dare nec vult, nec potest: petentibus autem & orantibus dare & potest, & vult. Impudentissimus vel omnino stolidus haberetur menalca ille, qui Regem potentissimum accedere ac petere ab illo auderet, ut participem ac consortem regni sui se faciat. Exturbaretur quamprimum ejus-

ejusmodi homuncio a Regis conſpectu, & ex ipſa regia vel in carcerem, vel in morotrophium compingeretur. Quid fieret, ſi ſæpius rediret, ſi ſæpius & importune id ipſum poſtularet? At ecce! Dei noſtri benignitatem. Vult ut audeamus accedere, ut poſtulemus, & quid? *Adveniat regnum tuum.* Hoc ut petamus, ipſe nos admonuit, dum orare docuit *Pater noſter.* Neque ſolum ut petamus docuit, ſed etiam promiſit ſe daturum, ſi petamus, non aliquam regni ſui laciniam, vel dimidiam ejus partem, ut Aſſuerus Reginæ Eſther promiſit: *Etiam ſi dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi.* Eſther c. 5. v. 3. ſed totum regnum: *adveniat regnum tuum.* Tantum abeſt, ut moleſte ferat Deus has preces noſtras, ut etiam ad id faciendum nos exhortetur: *Petite & dabitur vobis: quærite & invenietis: pulſate & aperietur vobis.* Matth. 7. v. 7. Petite frequenter, quærite ſolicite, pulſate opportune importune. *Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur.* ibid. Pater eſt, ut ſe ipſum vocat: negare non poteſt filio roganti, ut in domum paternam recipiatur. Hinc eadem in oratione Chriſtus exordium duxit ab iis verbis: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Vocat Patrem, & ſedem ſeu thronum, ubi excipit preces fidelium, aſſignat cœlum. Et cur hoc? Eſt Deus ubique & in omni loco præſens: in cœlis tamen eſſe dicitur non absque myſterio, ut ſcilicet ad cœlum & pro coelo ſemper preces noſtras dirigamus. Sit ergo aſſidua oratio noſtra,

ſtra, ardentibus animata ſuſpiriis: O mi Deus! non divitias cito perituras, non voluptates in fine mordentes, non dignitates nimium inſtabiles & cum fumo evaneſcentes, ſed coelum, coelum a te peto: ad hoc toto corde, tota anima, & totis viribus aſpiro. Agamus, quod D. Philippus Nerius egit, qui quum ſummus Pontifex ipſum purpura Cardinalium ornare vellet, coelum, inquiebat, Beatiſſime Pater, coelum non purpuram volo.

III. Verum non ſufficit ſuſpirare duntaxat & orare: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cæiis eſt, ipſe intrabit in regnum cælorum.* Matth. 7. v. 21. Bona verba non ſufficiunt ad obtinendum coelum, ſed facta & opera accedant neceſſe eſt: ſpeculative in coelum venire eſt coelo excidere: practice ingrediendum eſt: vis facienda coelo eſt, ut expugnetur. Nam *regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Matth. 11. v. 12. Eſt regnum coelorum inſtar munimenti, *Civitas ſupra montem poſita.* Matth. 5. v. 14. Quanto labore, quibus machinis, quam immanibus expenſis, inter quot vitæ pericula milites obſident valide munitam quandam urbem, ut illam denique expugnent? Non minus milites Chriſti, qui ſub crucis vexillo ſtipendia merebantur, ſancti Martyres & Confeſſores innumera perpeſſi ſunt mala & tor-

men-

menta, ut hanc coeleſtem civitatem in poteſtatem redigerent. Deſcribit graphice militum horum præclara geſta Gentium Apoſtolus in Epiſt. ad Hebr. c. 11. v. 36. *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii, mortui ſunt, circuierunt in melotis & pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudinibus errantes, in montibus, ſpeluncis, & cavernis terræ.* Ita Paulus. Et re ipſa in hac ardua oppugnatione ipſe Paulus caput perdidit, Petrus & Andreas in crucem acti ſunt, Bartholomæo detracta pellis, Simon medius ſerra lignea in duas partes ſectus eſt, Sebaſtianus ſagittis confoſſus, Eraſmo extracta viſcera, Laurentius vivus lento igne aſſatus eſt &c. Tanti conſtitit his Chriſti militibus expugnatio regni coelorum. An nos, putamus absque labore, absque vulnere, absque cruce in coelum venturos? Profecto vel errarunt graviſſime tot Sancti, qui dum longe faciliori via potuerunt intrare in regnum coelorum, adeo aſperum & difficile iter elegerunt ſponte, vel nos terribiliter erramus, qui poſt vitam undequaque commodam & delicatam, mille oblectamentis conditam tanta cum fiducia nobis coelum promittimus. *Hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam,* ipſe Chriſtus, æterna Veritas, de ſe teſtatus eſt apud Lucam c. 24. v. 26. Si vero Chriſtus non potuit ſine labore ac ſudore, ſine ſanguine, ſine vi intrare in gloriam ſuam, quæ ſibi pridem debebatur tanquam Filio æterni Patris, & Regi

seculorum immortali, quomodo nos in alienam, & quæ supra omne meritum nostrum est, quasi curru & equis vecti involabimus? Non patet via e coelo in coelum: nec possumus heic gaudere cum seculo, & ibi regnare cum Christo. Pro coelo in hac vita tanquam pro aris & focis pugnandum est.

IV. Pugnandum est, inquam, & contra hostes infensissimos, fortissimos, & nequissimos pugnandum, qui regnum coelorum eripere e manibus nostris continuo loborant, contra dæmonem, carnem & mundum. Dæmon nos pertrahere nititur ad sua signa, depingit nobis mandata Dei velut jugum nimis grave, nec humanis ferendum humeris, virtutem nimium arduam & melancholicam, viam ad coelum nimis asperam: planam contra & tritam ad voluptatem, & ab hac quo? ad infernum. Caro blanditur, illecebras & delicias carnales aureo in poculo instar meretricis illius babylonicæ propinat, ad gulam, ebrietatem, mollitiem atque luxuriam inducit. Mundus proponit opes & lucra temporalia, auri & argenti fulgore oculos excæcat, ad dignitates & vanitatum pompas nos invitat, ad avaritiam & injustitiam instigat. Atque hi potentissimi hostes, eoque magis timendi, quo magis invisibiles sunt, perpetuo stant in armis, & pugnant adversum nos, quamdiu vivimus: *Foris pugnæ, intus timores.* 2. Cor. 7. v. 6. Si autem hœc ita se habeant, quomodo nos tot inter ac tales hostes

ſtes ſine omni pugna, ſine vi victoriam ſperamus? Sancti, & eremi incolæ vigiliis, oratione, jejuniis & mille auſteritatibus vix ſuperarunt inſidias ab his hoſtibus ſtructas, & nos otiando ac velut dormiendo victores nos fore confidimus? Quin potius audiamus Apoſtolum ad Epheſios c. 6. v. 11. *Induite vos armaturam Dei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli: loricam juſtitiæ* juſte agendo, & tribuendo cuique ſuum: *ſumentes ſcutum fidei*, vivæ nimirum fidei, non mortuæ ſine bonis operibus: *galeam ſalutis*, nihil potius habentes, quam animæ noſtræ ſalutem: *& gladium ſpiritus*, id eſt, ardentis orationis, quæ ipſas etiam nubes penetrat. Ecce! his armis induit Paulus militem Chriſto recens authoratum. Nemo heic dicat cum Davide repudiante arma, quæ ipſi obtulit Rex Saul, dum contra gigantem Goliath in aciem proditurus erat, nemo inquam dicat: *Non poſſum ſic incedere.* 1. Reg. 17. v. 39. Quod viribus noſtris deeſt, ſupplebit gratia Dei, qua milites ſuos, modo eam ſponte non abjiciant, & ſigna deſerant, inſtruit Chriſtus ſupremus Bellidux in hac militia. Strenuus miles, ſi pro aris & focis, pro libertate, pro patria certandum eſt; nihil intentatum relinquit; ipſam vitam & ſanguinem profundere non dubitat. Quid nos agere, immo quid non agere oportet Chriſti milites, dum pro Deo, pro coelo, pro æterna ſalute noſtra pugnandum eſt? Felices nos, ſi in agone ſeu ultima cum morte lucta cum Apoſtolo dicere poſſimus: *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem*

ſerva-

servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex; non solum autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus. 2. Tim. 4. v. 7.

V. Intelleximus hucusque ea, quæ ad cœlum obtinendum sunt necessaria: veniamus modo ad illa, quæ cœli obtinendi spem longe maximam nobis facere possunt, quæque Patres & Ascetæ vocant *signa prædestinationis.* Varia in medium afferri solent; sed assumamus certa, scilicet quæ ex ore ipsius æternæ Veritatis profluxerunt. Ubi montem conscendit Christus cum discipulis suis, quemadmodum narrat D. Matthæus c. 5. v. 1. sedit in medio eorum, & tanquam Magister ex cathedra octo beatitudines, quasi totidem electorum ac prædestinatorum characteres certissimos, explanare cœpit, atque beatos pronunciavit illos, quos mundus & caro, fallaces nimium judices, miseros & ignavos despicit. 1. *Beati pauperes Spiritu; quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Nimirum ii, qui amore Dei ac cœlestis gloriæ desiderio vel caducis terræ bonis sponte renunciarunt, vel saltem animum iis non affigunt, transeuntes per hæc terrena, ut non amittant cœlestia: quique opes suas larga manu in pauperes vel Dei cultum erogant, ut unde acceperunt, illuc redire jubeant. Qui habet regnum coelorum, beatus est,

eſt, quis neget? Pauperum autem eſt regnum cœlorum, uti veritas æterna dixit: ergo beati ſunt pauperes: non quidem nunc poſſeſſione hujus regni, ſed jure ad illud. En! argumentum convincens. 2. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram.* Mites autem ſunt, qui procul ab ira, indignatione, invidia, inimicitia, ambitione, proximorum miſeriæ condolent, aliena felicitate gaudent, malis mala non retribuunt, ſed vincunt in bono malum. Hi terram poſſident, nempe illam, de qua Pſalmiſta loquitur: *Tu es ſpes mea, portio mea in terra viventium.* Pſalm. 141. v. 6. Quandonam S. Stephanus vidit cœlos apertos, & filium hominis ſtantem a dextris Dei? certe, ubi perſecutoribus ſuis ignovit, & pro lapidantibus ſe oravit. Act. 7. v. 55. 3. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Lugent in hac vita probi ex compunctione de ſuis, & ex compaſſione de peccatis alienis, quibus divina majeſtas quotidie offenditur: lugent ex devotione miſerias hujus vitæ exulantis a patria: lugent ex deſiderio æternæ vitæ dilationem. Norunt enim, quid Eccleſiaſtes dicat c. 7. v. 3. *Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum ſit.* Non conveniunt riſus & tripudia valli lacrymarum, in qua nati ſumus & habitamus, expectantes finem exilii noſtri. Hi conſolabuntur a Deo totius conſolationis non tantum in cœlo, ubi abſterget omnem lacrymam ab oculis eorum, ſed etiam in terra, ubi luctum com-

punctio-

punctionis & devotionis vel comitatur vel sequitur incomparabilis animæ consolatio.

VI. 4. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur,* Esuriunt autem & sitiunt justitiam, qui Deum timent, qui Deo soli servire ac placere student; qui viam virtutis & mandatorum divinorum ambulant, qui suum cuique tribuunt, & per bona opera certam vocationem suam facere conantur. Hi sunt viri justi & timentes Deum, uti de Patriarchis, de Job, de Davide, ac Simone testatur S. Scriptura: & hi saturabuntur, ubi sancta illorum desideria implebuntur: Saturabuntur cibo illo; de quo Christus dixit: Meus cibus est, ut faciam voluntatem Patris mei, quod est justitia: & aqua illa, de qua quisquis biberit, hauriet salutem a Domino, & fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Hac virtute homines maxime accedunt ad Deum, qui *misericors & miserator Dominus est,* ut inquit Psalmista 110. v. 4. Hanc virtutem maxime exercuit Job, dum ait c. 29. v. 15. *Oculus fui cæco & pes claudo: Pater eram pauperum.* Et c. 31. v. 8. *Ab infantia mea crevit mecum miseratio. & de utero matris meæ egressa est mecum.* Hanc Tobias senior Junióri ac filio suo impense commendavit, dum morti, ut credebat, proximus eum sic allocutus est: *Quo modo potueris, ita esto misericors. Si mul-*

multum tibi fuerit, abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram ſummo Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. c. 4. v. 8. Quippe miſericordes miſericordiam conſequentur, in hac quidem vita per indulgentiam peccatorum, & abundantiam gratiarum: in altera per gloriam cœleſtem, quæ non tam juſtitiæ, quam miſericordiæ divinæ opus eſt. 6. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Mundi corde ſunt, qui non ſolum ab omni peccato gravi procul abſunt, ſed etiam animi affectiones a creaturarum amore avulſas & ad Deum converſas habent, & quanto poſſunt ſtudio ab omni offenſa Dei conſcientiam immunem cuſtodiunt. Hi ſunt, qui Deum vident, ante faciem ipſius ſemper ambulantes, & cœleſtium veritatum contemplatione ſe paſcentes: quique Deum videbunt aliquando facie ad faciem, ad viſionem ejus admiſſi, ad quam nihil inquinatum pervenire poteſt.

VII. 7. *Beati Pacifici: quoniam Filii Dei vocabuntur.* Pacifici ſunt, qui carnem ſpiritui & paſſiones rationi ſubjecerunt, qui cum proximo in pace vivunt, & omnes chriſtiana

charitate complectuntur, quique alios ad pa cem & concordiam revocare student. Hi vo cabuntur Filii Dei, qui charitas est, & Deu pacis, non dissensionis, qui præcepit non so lum: *Diliges proximum tuum*, sed etiam *Diligite inimicos vestros: benefacite his qui oderunt vos.* Hi prærogativa filiorun Dei gaudent, quia Patri similes, qui nos cha ritate perpetua dilexit, & perpetuo diliger cupit. 8. *Beati, qui persecutionem patiun tur propter justitiam, quoniam ipsorum ej regnum cælorum.* Hi sunt, quos mundu odio habet, quia de mundo non sunt; de qui bus Joan. 15. v. 18. Servator dixit: *Si mun dus vos odit, scitote, quia me prioren vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis mundus quod suum erat, diligeret; quia ve ro de mundo non estis, sed ego elegi vos d mundo, propterea odit vos mundus.* Qui: neget beatum, cui Deus benedicit? at Deu benedicit iis, quibus propter justitiam mun dus maledicit: *Beati estis, quum maledixe rint vobis homines, & dixerint omne ma lum adversus vos.* Horum profecto est re gnum cælorum, nec ullum certius prædestina tionis signum, *quoniam per multas tribula tiones oportet nos intrare in regnum Dei* Act. 14. v. 21. His octo prædestinationi: æternæ signis aliud addere licet non minu: certum, & veluti reliquorum omnium com plementum atque sigillum. Et quod illud


nor

non aliud, quam devota & frequens communio, seu corporis ac sanguinis Christi participatio. Hoc est manna illud coeleste, quod de coelo nobis pluit Deus, in deserto hujus mundi constitutis: hoc pignus terræ promissæ, id est, gloriæ coelestis. Testimonium desideras? en! omni exceptione majus ab ipso, qui se in cibum & potum dedit, Dei Filio: *Amen Amen, dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Luc. 6. v. 54. An clarius aut fide dignius ultra desideras, aut desiderare potes? Nunc vero te ipsam probe inspice o anima Christiana, a te ipsa solicite exquire, an aliqua saltem ex his prædestinationis æternæ signis in te reperias. Sunt etenim hi filiorum Dei characteres, quibus insigniti incedunt, quotquot scripti sunt in *Libro Vitæ.* Heic subsiste, ac converso in coelum vultu, totaque mente exardescens ingemisce: O ut & nomen meum scriptum sit in hoc vitæ libro! Valete omnia mundi gaudia: hoc solum expeto gaudium, & o quantum! Benignissimus Salvator apud Lucam c. 10. v. 20. conversus ad discipulos suos gloriantes, quod etiam dæmonia subjicerentur in nomine Christi, *Ecce!* inquiebat, *dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones,*

& ſuper omnem virtutem inimici, & ni hil vobis nocebit. Verumtamen in hoc no lite gaudere; quia Spiritus vobis ſubjiciun tur: gaudete autem, quod nomina veſtr ſcripta ſunt in cœlis. Hæc vera ſummaqu felicitas eſt in hac vita, & prodromus æterna felicitatis in altera: *Nomina veſtra ſcripta ſun in cœlis.*



Confi-






Consiliarius Quintus.

Æternitas.

Prodit denique in medium quintus & præstantissimus Consiliarius. Et quis ille? Non alius, quam qui reliquorum quatuor, quos produxi Consiliariorum placitis ac documentis maximum pondus addit, & sine quo cæteri modicam persuadendi vim apud homines obtinerent. Ecclesiasticus, postquam c. 7. v. 40. pronunciavit: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua* statim subjungit *& in æternum non peccabis.* Æternitas igitur sit quintus ille Consiliarius Intimus, de quo jam nunc agemus. Mors non adeo timenda foret, si non in æternitatem nos transferret, ignaros an felicem vel infelicem. Judicium non ita formidandum esset, si non in eo sententia decretoria seu æterna

næ beatitudinis seu sempiternæ damnationis pronuntiaretur: Neque infernus tantopere horrendus, neque cœlum votis omnibus exoptandum, si æternitatem detrahamus. Æternitas quatuor Novissimorum veluti complementum est, omneque momentum ex æternitate pendet. Quam potens autem hic Consiliarius sit, docet nos exemplo suo Maximus ille Vir & Angliæ Cancellarius Thomas Morus. Hic quum Henrici VIII. Angliæ Regis incestis nuptiis, atque impiis religionem novandi ausibus magno animo palam, ut decuit, resisteret, in carcerem conjectus fuit, propediem supremo capitis supplicio afficiendus. Nullum non lapidem moverunt & Rex, & Proceres, & amici, ut Viri constantiam frangerent, sed frustra. Ultimus denique aries adhibebatur: Aloysia uxor lectissima una cum liberis, dilectis adeo pignoribus, carcerem ingressa est, tota squallore fœdata, & muliebres inter tum lacrymas tum blanditias per quidquid sacrum erat, per amabile conjugis nomen obtestabatur maritum, ne bona omnia,

famam, & vitam, quibus multis adhuc annis frui posset, fatali ictu præscindi pateretur, sæpiusque hanc vitæ diuturnitatem inculcando dicendi finem nullum fecerat, nisi Morus tacendi fecisset, hæc paucis percunctatus: Et quamdiu, ajebat, mea Aloysia, quamdiu frui hac vita deinceps potero? Tum illa, totis facile viginti annis mi Marite, si Deus voluerit. Vis ergo, reponit Morus, æternitatem cum viginti annis commutem? Næ tu imperita es mercatrix o Aloysia, & quasi una de stultis mulieribus locuta es. Nam si annorum aliquot millia diceres, aliquid tu quidem diceres, sed parum, immo nihil ad æternitatem, quam securus adire cupio, & felicem me aditurum confido. Atque hac æternitatis consideratione probe munitus pro Deo, pro patria, & pro justitia generoso Christianoque animo caput præcidendum carnifici obtulit. Nimirum æternitatis consideratio Thomæ Moro fuit quondam tam gloriosæ mortis, utinam & nobis vitæ vere Christianæ sit jam nunc Consiliarius.

Consi-

Consilia Æternitatis Speculativa.

I. Quid est æternitas? Quæri potest, responderi non potest. Ad hanc quæstionem silent Patres, hærent Theologi, stupent Astronomi, alucinantur Arithmetici, nesciunt ipsi Angeli: nec Doctor *Resolutus* Bachonius, nec *Irrefragibilis* Alensis, nec *Exstaticus* Dionysius Carthusianus, nec *Mirabilis* Perez, nec *Eximius* Suarez, nec *Subtilis* Scotus, nec *Seraphicus* Bonaventura, nec Doctor *Angelicus* Thomas hanc quæstionem satis explicarunt, nec explicare potuerunt. Æternitas tempus est, sed pro! quale? Metimini illam Mathematici decempedis vestris, quantum lubet, secundum altitudinem, longitudinem, latitudinem ac profunditatem: metimini iterum ac sæpius: post decem annorum myriades, post centies millia millium myriadum necdum æternitatis est finis, necdum medium, nihil de principio illius diminutum invenietis. Nullis numeris arithmeticis, nec geographicis dimensionibus ulla sui parte comprehendi potest, nec verbis finitis finiri. Æternitas est vox, quæ quatuor quidem syllabis, sed reipsa nullis terminis circumscribitur. Cogita mundum, immo mundos plures, quotquot velis aut possis, atque hos cumulo arenarum repletos: finge porro e tot tantisque arenarum montibus aviculam quampiam singulis mille annis redeuntem unam arenulam rostro decerpere at-

que auferre: quot annorum myriades labentur, antequam pugillum arenæ ex hoc cumulo ſuſtulerit? Nihilominus certum eſt, tantos montes & colles denique ſolo æquandos & penitus delendos eſſe, dum interim æternitas, tota quanta eſt, intacta ſtabit, nec quidquam decreſcet: *Contriti ſunt montes ſeculi: incurvati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis*, inquit Habacuc Propheta c. 3. v. 6. Affligitur quis rabido dentium dolore, totas noctes inſomnes agit. ah! longas noctes, heu! æternitas ingeminat! & neſcit, quid ſit æternitas. Alius complures annos lecto affixus contabeſcit. pro! quamdiu? o æternitas! & neſcit quid ſit æternitas. Eſt, qui tetro carcere ac obſcuro antro ad decem, ad viginti annos concluſus tenetur. Centenos ille computat, moram iſtam æternam clamat; ſed ignorat, quid ſit æternitas. Nulla tempora, quæ hucusque fuerunt, ſunt, & erunt, etſi ſimul accipiantur, æternitatis abyſſum explere valent: nullæ horæ, nullæ dies, nullæ hebdomadæ, nulli menſes, nulli anni, nulla luſtra, nullæ olympiades, nullæ indictiones, nulla jubilæa, nulli anni Platonici, & nullæ revolutiones ſiderum fixarum, licet millies & millies multiplicatæ, exhaurire poſſunt æternitatem. Hoc infinitum, hoc æternum excedit omnem captum mortalium, immo & cœleſtium: nec Deus ipſe, licet omniſcius & omnipotens, in æternitate terminum, primum, medium ac ultimum diem invenire poteſt, vel ſtatuere.

II. Verum licet explicari satis non queat, quid sit æternitas, cogitari tamen satis utiliter potest. Nam: quidquid vis, dic de æternitate, quia quidquid dixeris, minus dicis: sed ideo necesse est, ut aliquid dicas, ut sit, unde cogites, quod non potest dici, verba sunt Magni Augustini in Psalm. 60. Dicamus ergo aliquid, e rebus, quas cognoscimus, abstractum, & imaginum, quæ oculis nostris obversantur, coloribus depictum. Æternitas est tempus, quod semper fluit; nunquam effluit; nescit *heri*, nescit *cras*, est perpetuum *hodie*. Æternitas est vortex, cujus aquæ, scilicet anni, dies & horæ, semper in se revertuntur, absorbentur, & denuo regurgitantur. Est oceanus, cujus profunditas nulla bolide potest investigari. Est spatium immensum, quod nullo oculo pervadi, nullo cursore confici valet. Æternitas est circulus, cujus centrum ubique, peripheria nullibi. Est rota, quæ nunquam subsistit, sed continuo circa suum axem volvitur. Est labyrinthus, gyris & spiris innumeris se intorquens, qui semel ingressos circumducit, nec amplius reducit. Æternitas est puteus, qui nunquam exhauriri potest, sed quo plus evacuatur, eo magis redundat. Est ævum ævorum, quod nunquam interit, sed in eodem statu semper permanet. Hæ imagines ac similitudines videntur quidem declarare naturam æternitatis, sed reipsa nihil declarant, quia secundum Philosophorum effatum finiti ad infinitum nulla est proportio. Quamvis vero æternitas omni termino careat, & infinita in se tem-

pora

pora complectatur, præterita præsentia & futura, duos tamen fines ac terminos illi statuere licet, quibus concludatur, nimirum *Semper* & *Nunquam*. Semper durat, nunquam finitur. O fines duos, multis optabiles, sed pluribus formidabiles! In cœlo semper lætabuntur justi, nunquam contristabuntur: in inferno semper cruciabuntur impii, nunquam consolabuntur. Quid enim? æternitas beatis summam securitatem parit, damnatis spem omnem eripit. Qui tormenta patiuntur in hac vita, spe libertatis futuræ se solantur: qui gaudia & voluptates sectantur, harum jacturam timent continuo. At cœlestibus gaudiis securitas additur, tormentis inferni spes demitur. Hic est summus apex, qui beatorum felicitatem, & damnatorum miseriam coronat: felicitatem reddit immensam, miseriam intolerabilem. O pauca verba, sed sensu plena: *Semper*, *Nunquam!* Quot non homines ex urbibus & e laribus paternis in eremos, e mundo in claustra compulistis? quot non e vitiorum cæno extractos ad frugem reduxistis? Vos martyribus constantiam, virginibus castitatem, peccatoribus pœnitentiam, justis perseverantiam conciliatis. Seria æternitatis cœli ac inferni memoria neminem permittit descendere in infernum, nec excidere cœlo: Si hæc memoria in hominum animis vigeret, vacuus esset infernus, cœlum habitatoribus plenum.

III. Sed, quod dolendum, æternitatem hanc tam certis S. Scripturæ testimoniis firmatam

pa-

parum curant, immo vix cogitant Filii hujus Seculi: alias æternitates labili nimium fundamento nixas ſibimet ipſis fabricant & fingunt miſeri. Fuerunt, qui cum gigantibus illis, turrim Babel cum ipſis nubibus altitudine ſua certantem ſtruere conantibus, opera moliebantur æternum, uti credebant, duratura. Sed ubi nunc eſt Carthago, ubi Athenæ, Corinthus, Thebæ, Troja, Babylon olim validiſſimæ urbes, nunc vana nomina? Quo cecidit Hieroſolyma cum arce Sion, & templo Salomonis? eo, quo Chriſtus prædixit: *Non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui non deſtruatur.* Matth. 24. v. 2. Romæ nullum veſtigium Palatii Cæſaris Auguſti, Tiberii, nulla domus nullum monumentum Scipionum conſpicitur: rudera duntaxat aureæ domus Neronis, templi Pacis, thermarum Antonini & Diocletiani cernuntur. Sunt, qui æternitatem in nominis fama collocant, quam grandibus rebus præclare geſtis, & ſapientiæ, fortitudinis, atque potentiæ relictis veſtigiis apud poſteros omni ævo perennaturam ſperant. Sed ubi nunc Magni Alexendri, Aſſueri, Auguſti, Hannibales, Curtii, Solones, Lycurgi, Demoſthenes, Homeri? ah! laudantur ubi non ſunt, & cruciantur ubi ſunt. Sunt, qui in magna & multiplici ſcientia, eruditionis fama & doctrinæ excellentia æternitatem ſuam ſtabilire cupiunt, & in ore ac calamo hiſtoriographorum & ephemeridum perpetuo ſe victuros exiſtimant. Sed audiant hi Salomonem hominum omnium, qui fuerunt & erunt, ſapientiſſimum: *Locutusque cum mente*

te

te mea, inquit, *animadverti, quod hoc quoque esset vanitas. Non enim erit memoria sapientis, similiter uti stulti, in perpetuum, & futura tempora oblivione cuncta pariter obvenient: moritur doctus similiter ut indoctus. Et idcirco tæduit me vitæ meæ, videntem mala universa esse sub sole, & cuncta vanitatem & afflictionem spiritus.* Eccles. c. 5. v. 15. Sunt, qui in sceptris & coronis, in sublimibus dignitatum fastigiis æternitatem suam reponunt. Sed hos omnes meminisse oportet illius gnomes, seu brevis sententiæ, quæ summo Pontifici, quando electus inauguratur, tribus vicibus accendendo totidem stupas adclamari solet: *Pater Sancte! sic transit gloria mundi.*

IV. Ita profecto est: transeunt, quæ æterna fore putabamus male creduli mortales, transeunt omnia; evanescunt, nec revertuntur. At æternitas seu felix seu infelix transit quidem singulis momentis, sed ita, ut in semetipsam continuo revertatur, & post occasum denuo oriatur; semper nova, semper vetus, nunquam terminanda. O si videre nobis ac scrutari liceret æternitatis abyssum, quam longe aliæ ab his, quæ modo de rebus mundanis fovemus, cogitationes & judicia in corde nostro ascenderent? Quod oculis corporis non licet, licet tamen mentis oculis: sed & isti apud multos male affecti sunt, non secus ac illi. Sunt oculi quorundam myopes, qui acute vident ea, quæ propinqua sunt, objecta: verum remota nonnisi confuse, nec distinguere

guere norunt: alii vocantur presbytæ, qui objecta, quo longius distant, eo melius discernunt, quamvis ad propinqua hebetes sint. Ita contingit plurimis, qui præsentia duntaxat & transitura bona considerant, ad futura vero & æterna cæcutiunt: qui hujus mundi otia & negotia tanquam grandia Enceladorum opera prædicant, quæ tamen, si æternitatem respicias, non sunt nisi areanearum telæ, & formicarum ædificia. His sane aliud non superest remedium, quam ut cum cæco illo Jerichuntino clamore valido, & humili corde a Deo flagitent: *Domine ut videam.* Luc. 18. v. 41. ut videam & cognoscam hujus mundi vanitatem, & alterius æternitatem.

V. Hæc autem æternitas immenso sinu suo plures æternitates, prioribus longe certiores complectitur. Prima est æternitas animæ humanæ, quæ non, uti fit brutorum animabus, post mortem in nihilum suum redit, sed ad percipiendum vel præmium vel pœnam æternum durabit, sicuti fides nos docet. Equidem apud Sapientiam c. 2. v. 2. dixerunt insipientes: *Ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus, quasi non fuerimus.* Sed mox subjungit idem Sapiens v. 21. *Hæc cogitaverunt & erraverunt: excæcavit enim illos malitia eorum, & nescierunt Sacramenta Dei, neque mercedem speraverunt justitiæ, nec judicaverunt honorem animarum sanctarum, quoniam Deus creavit hominem INEXTERMINABILEM, & ad imaginem similitudi-*

tudinis suæ, fecit illum. Juvat nunc cum S. Chrysostomo quæstionem instituere: O homo! quot manus tibi dedit Deus? respondes, duas. Bene: Deus conservet tibi illas. Sed cur dedit duas? scilicet ut una forte perdita uti ad laborandum possis altera. Quot pedes accepisti? respondes duos. bene: Deus conservet. & cur? ut si unum perdas, superesset alius, cui insistas. Quot aures? etiam duas. recte: Deus conservet. & cur? nimirum ut si dextra inutilis ad audiendum reddatur, sinistra remaneat. Quot oculos? respondes: geminos. Deus conservet: & cur? ut si uno cæcus fieres, altero adhuc videre posses. Dic tandem, quot animas tibi Deus dedit? Si duas accepisti, fortasse posses unam perdere, & restaret altera, quæ salvaretur. Verum O Deus! unicam solam dedisti, & hanc immortalem, æternam; si hæc pereat, jactura reparari amplius non potest. Hæc unica, o homo! deberet tibi esse instar centum & mille: hæc unica si semel evecta sit in cœlum, per totam æternitatem beata erit, & lætabitur: si semel præceps abiit in infernum, per totam æternitatem misera erit, & cruciabitur.

VI. Altera est æternitas corporis, quod quidem post mortem a vermibus paucos intra dies corroditur, atque in pulverem ac cineres abit. At vero in die extremi judicii resuscitandum ac resurrecturum fore, cumque anima perpetuo nexu conjungendum rursus fides nos docet, ut scilicet una cum anima vel mercedem bonorum ope-

operum in cœlis, vel malorum in gehenna recipiat. *Venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joan. 5. v. 28. Atque hoc est, quod probos incredibili gaudio ac jubilatione, improbos inexplicabili dolore ac amaritudine replebit. Illis cor in sinu suo exultabit, dum cogitabunt, momentanea afflictatione corporis, quod in servitutem spiritus redegerunt, gloriam nunquam finiendam esse se promeritos: istis vero cor in frusta dissiliet, dum videbunt, momentanea delectatione corporis, quod tam insano amore prosecuti sunt, pœnas sine fine duraturas se incurrisse. Si igitur corpus tuum o homo Christiane! insurgat adversus spiritum, si obedire nolit divinis mandatis, si luxuriare incipiat, & cæco impetu cupiditatibus suis frena laxare velit, æternitatis imaginem in corde depictam illi monstra & dic: Momentaneum est, quod delectat, æternum quod cruciat. *Mors peccatorum pessima.* Psalm. 33. v. 22. *Justi autem in perpetuum vivent.* Sap. 5. v. 16. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descen*dunt. Job 21. v. 13. *Ibunt justi in vitam æternam: ibunt* (peccatores) *in ignem æternum.* Matth. 25. v. 34. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* ad Rom. 8. v. 18. Dic corpori tuo. Eia! recordare, non solum animam, sed & te fore immortalem: recordare,

vitæ hujus breve tempus tibi concessum esse, u
postea æternum vivas. Vos oculi mei, nolit
Deum offendere vetitis aspectibus: nam eriti
æterni. Vos manus meæ, operamini ad glo
riam Dei & salutem animæ: nam eritis æternæ
Vos pedes mei, currite viam mandatorum Dei
nam eritis æterni. Vos aures meæ, percipit
vocem Domini ad cœlum invitantis per vian
arctam & angustam: nam eritis æternæ. Tu
caro mea, pœnitentiæ ac mortificationis chri
stianæ jugo libenter te subjicito: nam hoc æter
næ felicitatis participem te reddet.

VII. Tertia æternitas est æternitas cœli & in
ferni, seu præmiorum & pœnarum. Si glori
cœlestis, quam Deus electis suis præparavit, &
ignis infernalis, qui paratus est diabolo & ange
lis ejus, cunctisque reprobatis, si hæc finem ali
quando haberent, stultitia eorum, qui nulla isto
rum cura tanguntur, nec ullam vel adipiscend
vel evitandi solertiam adhibent, excusari aliqu
modo posset. Nunc autem quum credamus
quod perpetua hæc sint futura, a nota stultitia
excusari homo non potest, qui vel cœlum nihil
facit, vel infernum flocci pendit. Brevitas, &
diuturnitas temporis miros in hominum animi
effectus producunt. In voluptatibus, quas se
ctamur, accusamus temporis brevitatem: it
venator, dum vix facto diluculo per dumeta &
sylvas animalium latibula excussit, & nunc pe
montes, nunc per valles feras agitavit, totu
sudore perfusus, & fame ac siti prope exhaustu
ere-

crepuſculum adeſſe ac heſperum oriri dolet, qui venationi finem tam cito imponit: ita aleator lucro intentus a mane ad veſperam usque cum ſociis ad menſam in popina ſedet inter variam luſus ſortem, nec magis dolet, quam ſi denique vel nox intempeſta, vel loculi pecunia exhauſti ludendi finem imperant: ita ganeo, poſtquam fœdis voluptatibus brutorum more aliquamdiu indulſit, nimium breves illas horas fuiſſe conqueritur, & ad aliud volutabrum properat. Contra vero agricola menſium aliquot ſudores, durosque ſub dio labores, ægrotus amara pharmaca, & cauteria dolore plena, miles itineris & tempeſtatum incommoda, famem & ſitim, pugnæ pericula non horret, & cur? ob ſpem copioſæ meſſis colligendæ, ac in annos plures ſuffecturæ, ob ſpem ſanitatis obtinendæ, vitæque in multos annos extrahendæ, ob ſpem victoriæ, longam pacem lætumque otium, ac multa ſpolia poſt ſe tracturæ. Ecce! quid brevitas, quid diuturnitas temporis poſſit in hominum animis: quid vero æternitas in Chriſtianorum mentibus? O ſtolidos nos, dum ſcimus tum voluptates & delicias, tum labores & dolores in hoc mundo tam brevibus circumſcriptos eſſe terminis: gaudia vero cœleſtia, uti & tormenta inferni æterna fore ac nunquam finienda; hæc tamen evitare, & illa obtinere tam parum contendimus, immo ut in cœlum veniamus, nec pedem a terra levamus: ut in orcum ruamus, ſponte currimus, tam cito tranſituris immerſi, æternitatis prorſus obliti. Quid igitur? Si vo-

luptates ac deliciæ te invitent, dic cum Job c. 14. v. 5. *Breves dies hominis sunt.* Si adversa & cruces occurrant, dic cum Psalte Regio c. 76 v. 6. *Annos æternos in mente habui.*

Consilia Æternitatis Practica.

I. Si quis magni moliminis rem animo seme concepit ac exequi destinavit, omnes i eam cogitationes intentas habet, omnia eo con silia dirigit, nulli labori, nullis parcit sumtibu donec ad optatum finem perducat. Quænam autem majoris moliminis res est, vel esse potest quam æternitas, ut ea felix ac beata homini ob tingat? Non nascitur homo, ut brevi duntaxa tempore hujus vitæ bonis se se sagimet, tum ver velut cum bobus ad macellum trahatur, un ictu cum corpore & anima interiturus. Primu doctrinæ Christianæ articulus primum vitæ chr stianæ fundamentum est, quod quasi cum lact imbibimus, & pueri adhuc docemur: *Creatu est homo ad hunc finem, ut Dominum Deu suum laudet, ac revereatur: eique servien tandem salvus fiat, & æternum felix sit.* Se pro! dolor, quod a primis unguiculis discimu quam non brevi tempore inter mundana negot vel obliviscimur vel dedíscimus? raro de fin ultimo, raro de æternitate cogitamus: imm cogitationes de his rebus occurrentes tanquam fastidiosas & nimium tristes, vix non dixissen tanquam tentationes dæmonis studiose animo e cutimus, & in exilium ablegamus, ad alia omni

mer

mentem quamprimum avertentes. Interim quidquid moliamur, æternitas seu felix seu infelix nos certo certius exspectat, & mors æternitatis apparitor in eam vel nolentes transferet. Felix, qui prævenit, nec exspectat, donec peremptorie citetur, aut violenter abstrahatur. Nihil homini Christiano salubrius accidere potest, quam frequens æternitatis memoria. Statue igitur animam tuam ante duas æternitatis portas, nempe cœli ac inferni: intuere per illas tum infra abyssum ardentis gehennæ, tum supra splendorem cœlestis patriæ. Dein circa te ipsum describe circulum, qualem Fabricius Legatus Romanus baculo in arena descripsit, eique Pyrrhum Regem de responso pacis dando deliberantem inclusit, dicens: *Heic stans delibera.* Describe inquam & include te circulo æternitatis, dicque similiter: heic stans delibera! quam viam ingredi velis: una eligenda est, vel ut perpetuo beata sis, vel perpetuo damnata. Sed quid opus multa deliberatione? eligenda est utique via sursum, non deorsum. Age igitur viriliter pro æternitate, patere constanter pro æternitate, memor illius, quod Apostolus 2. ad Corinth. 4. v. 17. scripsit: *Quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Noli improbos imitari, de quibus Psaltes Regius 11. v. 9. *In circuitu impii ambulant*, dum in hac vita ab una voluptate in aliam, ab uno convivio in aliud, ab uno peccato in aliud ambulant: in altera vero ab uno

cruciatu in alium, ab uno tormento in aliud in circuitu, id est, æternitate infelici ambulare cogentur.

II. Non autem sterilis sit oportet hæc memoria æternitatis, sed fœcunda: non speculativa tantum, sed vel maxime practica. Talis autem erit, si assurgentibus pravis & indomitis cupiditatibus nostris eam applicemus, & veluti freno illas in officio contineamus. Est, qui injusto inhiat lucro, & per fas ac nefas divitias corradere satagit, ut se suosque ditet. Gravis tentatio! Sed ecce remedium præsens, memoriam æternitatis. Dic, quamdiu licebit frui opibus, quas tanto labore, tot curis & periculis comparasti? num forte æternum? ah! forte incendio, rapina, aliove infortunio vix comparatæ evanescent: certe modico tempore eas possidebis, tunc relinquendæ aliis erunt, nec in alteram vitam, eamque æternam quidquam lucri transferri poterit. Lucrari est parum expendere, & multum recipere: improbi plurimum expendunt, & parum vel nihil recipiunt: probi parum expendunt, & plurimum recipiunt: illi lucrantur nil nisi æterna supplicia, isti æterna gaudia. Est qui carnis stimulis actus fœdis voluptatibus etiam cum famæ ac sanitatis dispendio operam dare & prava satiare desideria cupit. Gravis tentatio! sed ecce remedium præsens, memoriam æternitatis. Dic, suaviter intrat voluptas, sed in fine mordet ut coluber: vix obtenta evanescit relicta grandi amaritudine: durat brevi tempore,

re, ſed vel longa expiari debet pœnitentia, vel æterno luenda eſt ſupplicio. Tanti pœnitere non emo. Eſt, qui per artes politicas ac largitiones ad magnum honoris dignitatisque gradum ſupra alios eluctari conatur. Gravis tentatio! ſed ecce remedium præſens, memoriam æternitatis. Dic, quantæ non ſpinæ curarum has roſas circumdant? quot labores exantlandi, quot pericula ſubeunda, donec obtineam: forte autem, uti plurima docent exempla, poſt breve tempus verſa fortunæ rota humi proſtratus jacebo fracta cervice. Certe uti fumus cum igne, ita cum morte honor omnis evaneſcit. Quid juvat, ad tempus honorari in mundo, & poſtea æternum ardere in inferno: ad tempus extolli in altum ſupra aliorum capita, & poſtea per omne tempus demergi in profundum gehennæ? Num habebimus in æternitate fortaſſis corpus ex ære fuſum, vel membra ferrea, aut in petram migrabimus, ut omni ſenſu careamus? In hac vita ne momentis aliquot pedes noſtri ambulare poſſunt ſuper ignitos carbones, aut manus ferrum candens ſuſtinere: quomodo ergo in altera ſempiternos infernalis foci ardores ſuſtinebimus? *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Iſai 33. v. 14.

III. Non minoris efficaciæ eſt æternitatis cogitatio, ut nos ad virtutem & felicitatis ſempiternæ deſiderium exſtimulet. Paupertate quis affligitur, & in ſudore vultus ſui panem quærere cogitur, ac forte nec micas de menſa divi-

tis cadentes cum Lazaro obtinere poteſt. Cogita mi bone, pauperum eſſe regnum cœlorum. *Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Tob. 4. v. 23. Melius eſt e caſa paupere, & ulceribus plenum avolare in cœlum, quam e palatio purpura & byſſo veſtitum delabi in infernum, e quo nulla redemptio. Veræ divitiæ & grandes theſauri repoſiti ſunt in cœlo iis, qui pauperem Chriſtum in terris ſecuti ſunt: hos neque fures aufferre, neque tineæ corrumpere unquam valent. Morbo quis correptus lecto affigitur, & membris omnibus dolet, medica manu necquidquam proficiente. Dic mi bone, quod Auguſtinus dixit: Domine heic ure, heic ſeca, dummodo in æternum parcas. Morbi & dolores patienter tolerati ſunt claves coeli, & pignora ſalutis æternæ, quæ Deus electis ſuis confert, ut eos tanquam aurum in fornace probet, & a ſcoria terrenarum voluptatum expurget. Corpus tuum nunc *ſeminatur in corruptione,* ait Apoſtolus, *reſurget in incorruptione.* 1. Cor. 15. v. 42. Perſecutionem quis patitur propter juſtitiam ab æmulis, ab hoſtibus, a falſis fratribus, injuſte vexatur, bonis exuitur, infamia notatur. Gaude mi bone: Beatos hos pridem pronunciavit Chriſtus, quoniam ipſorum eſt regnum coelorum. Vertetur ſcena: lugebunt & ululabunt inimici tui, dum tu gaudebis & exultabis perpetuo. Continget, quod unus e ſeptem Fratribus Machabæis Antiocho tyranno moriturus

rus dixit: *Tu quidem ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: Sed Rex mundi defunctos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* 2. Machab. 7. v. 9. Variis quis crucibus in hac vita oneratur, permittente Deo. Bono ſis animo: hæc regia illa via, quæ recta ad coelum ducit, ſi comes patientia accedat: hæc arcta via & anguſta porta illa, per quam omnes Sancti varie tentati & afflicti in ſempiternam felicitatem intrarunt, dum mundi hujus amaſii, qui nil niſi lætos dies vixerunt, per latam viam & ſpatioſam portam in æternæ perditionis barathrum delapſi ſunt. Hic filiorum Dei character eſt, quoniam & ipſum Dei Filium oportuit hæc pati, & ita intrare in gloriam ſuam, gloriam ſine fine duraturam, Si cum Jobo affligeris, & in ſterquilinio miſeriarum ſedeas, conſolare te ipſum cum eodem: *Scio, quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum; quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* c. 19. v. 25.

IV. Uti temporum æternitas eſt, ita & operum noſtrorum ſuo modo eſt æternitas. Nam uti tempora, dies, horæ, & minuta perpetuo in æternitatem, tanquam aquæ fluviorum & fontium in oceanum ſeſe exonerant, ita & opera totius vitæ noſtræ, ſeu bona ſeu mala ſint, continuo in æternitatem transmittuntur & præmittun-

tur, donec homo ipse sequatur ad rationem exactam supremo Judici reddendam, Cuncta, quæ in mundo habemus & possidemus, bona, divitiæ, domus, patria, quin & ipsæ vestes, quibus induimur, sunt relinquendæ. *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc*, nempe in æternitatem. Job. c. 1. v. 21. Potentissimi etiam Reges, & strenuissimi Belliduces sine ullo aulæ ac procerum comitatu, sine militum latera stipantium cohortibus in alterum orbem, ac æternitatis regionem migrare debent. Opera sola præcedunt & comitantur. Hæc singula & omnia in grandi æternitatis libro scripta proferentur, ac æterna fient in effectibus suis, mala quidem in poenis, bona in præmiis sempiternis. Hæc opera per totam æternitatem beatorum & damnatorum oculis obversabuntur, illis ad lætitiam & exultationem, his ad tristitiam & desperationem. Atque hujus operum nostrorum æternitatis consideratio cuivis Christiano maximus esse stimulus deberet ad bonorum operum exercitium perenne, dum tanta in coelo merces ea maneat. Zeuxem imitari oporteret, præstantem illum pictorem, qui quum longiores in picturis suis conficiendis moras traheret, interrogatus caussam, respondit: *Æternitati pingo.* O homo Christiane! felicem te, si dicere possis cum veritate: Æternitati scribo, lego, laboro, oro: quidquid cogito, quidquid dico, quidquid ago, Æternitati cogito, dico, ago. Profecto non utiliter in tempore vivitur, si non ad comparandum meritum in æternitate vivatur. Inter

alia Nobilium exercitia ludicra eſt illud haſtiludium, quod ad annulum tangendum inſtituitur: nobiliſſimus ſane ludus, ſi ad æternitatis annulum attingendum inſtituatur. *Sic currite*, ait Apoſtolus 1. Cor. 9. v. 24. *ut comprehendatis: illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* Hæc operum noſtrorum omnium meta ſit, cui lemma inſcriptum: *Non eſt mortale, quod opto.* Mundus plenus eſt inutilibus quæſtionibus: quid faciam, ut dives fiam? quid faciam, ut hunc illumve honoris gradum conſcendam? quid faciam, ut hac illave voluptate fruar? Inutiles curæ! utiliorem longe ac utiliſſimam quæſtionem Evangelicus ille Juvenis Marci c. 10. v. 17. Chriſto propoſuit, dum plenus reverentia, & bona voluntate accedens ad eum interrogavit: *Magiſter bone, quid faciam, ut vitam æternam percipiam?* Et recte: *quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur.* Matth. 16. v. 26. Totius mundi lucrum cum animæ detrimento non eſt comparandum, quum illud ſit breve ac momentaneum, iſtud nimis quam longum & æternum.

V. Hactenus velut circa æternitatem ambulavimus: nunc ipſam penitus ingrediamur. Nam ut ait Eccleſiaſtes c. 12. v. 5. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Ibit homo, nolit velit: ſingulis momentis, etiam dum non cogitat, magnis paſſibus æternitati appropinquat. Duplex eſt domus iſta æternitatis: prima beata & ſupra

mun-

mundum elevata, in qua ipsa beatitudo habitat, de qua Baruch Prophera c. 3. v. 24. *O Israel! quam magna est domus Dei, & ingens locus possessionis ejus*, & David Psalm. 111. v. 3. *Gloria & divitiæ in domo ejus.* Altera domus æternitatis est e diametro opposita, infra terræ abyssum depressa, sita in regione umbræ ac mortis, domus luctus, ubi *erit fletus & stridor dentium.* Matth. 13. v. 42. Pro! quantum inter has duas domos discrimen? Alterutra vero ex his certo tibi obtinget o homo! aut cœlestis, si vitam vivas vere Christianam, & in gratia Dei ex hoc mundo discedas. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum.* Psalm. 115. v. 15. aut infernalis, si vitam ducas mandatis Dei & evangelio contrariam, ac vitiis pollutam, & in peccato moriaris. *Mors peccatorum pessima.* Psalm. 33. v. 22. Age jam: cogita horam illam ab æterno constitutam, horam fatalem, & vitæ tuæ ultimam. Compone te quæso in lecto mortuali: diffugit visus, concidunt genæ, pallor faciem occupat, sudor gelidus defluit: circumstant triste silentes domestici, crucifixi imago inseritur manibus jam frigore rigentibus, accenditur candela benedicta, sacerdos acclamat lugubri voce: *Proficiscere anima Christiana de hoc mundo.* O quam dura & ingrata hæc verba homini, qui ventrem pro Deo coluit, qui omnem vitæ licentiam sibi indulsit, qui cuncta pro mundo, pro vanitate, sed pro Deo, pro æternitate egit parum vel nihil. At jam proficiscendum est: *Proficiscere anima*

chri-

christiana. O quam læta, quam plena solatio hæc verba homini, qui vixit in Dei timore, qui mentem terrenis hisce non affixit, qui præ omnibus curis animæ suæ in mortalis curam gessit?

VI. Proficiscere anima christiana, & quo? e mundi hujus domo in domum æternitatis seu felicis seu infelicis. Infelix est infernus, illa divinæ nemesis officina, locus omni pœnarum ac suppliciorum genere refertus, quem dives Epulo ipse merito appellavit *locum tormentorum.* Non tamen nec cumulus tormentorum omnium, nec eorundem atrocitas infernum constituunt. Quid ergo? ah! semper & semper futura, nunquam & nunquam finienda æternitas. Hæc malorum velut quinta, ut sic dicam, essentia cruciatus omnes in immensum auget. Mala omnia leviora facit brevitas, graviora diuturnitas, quid faciet æternitas malorum, quid? nisi intolerabilia, & tamen toleranda. Numera mille annos, numera milliones, quin & milliones millionum, semper verum erit, si anima damnata cum gemitu dicat: cœperunt tormenta mea: nunquam autem verum erit: finem acceperunt. Quo plura præterierunt, eo plura exantlanda restant: semper initium, nunquam finis. Et hujus horrendæ æternitatis periculo audes te o anima mea velut secure peccando exponere? O audaciam! vel solam inferno dignam! Nulla satis securitas, ubi periclitatur æternitas.

VII.

VII. Proficiscere jam ad alteram felicis æternitatis domum, in qua talia tantaque sunt bona & gaudia, qualia *oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit*, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 2. v. 9. Hæc tamen omnia cœlum necdum constituunt. Quid ergo? æternitas cuncta ista reddit infinite jucunda & pretiosa. O quam felix Beatorum sors, quam exundans lætitia! bona, quibus fruuntur, in unum congesta cumulum omnia & singula sunt æterna: æterna est possessio Boni infiniti, æternus Dei perfectissimi aspectus, æternus ejusdem amor, æterna laus & jubilatio, æterna cum angelis & beatis hominibus societas, æterna in omni deliciarum genere satietas, & quod amplius, de hac felici æternitate nunquam auferenda, semper duratura plenissima securitas. Oceanus tandem a spongia exsiccari posset, arenæ litorum a vermiculo absumi, mons ingens ab avicula tandem arrodi: at cœleste gaudium nullo tempore potest exhauriri: *Gaudium vestrum nemo tollet a vobis.* Joan. 16. v. 22. Quid jam superest o homo Christiane, nisi ut ad mortis confinia deductus magni illius, literati æque ac pii, Justi Lipsii exemplum cedro dignissimum imiteris. Hic quum totis viribus ad instantem mortis horam, ultimamque luctam intrepido animo subeundam se præparasset, in aspectu imaginis Deiparæ, quam per totam vitam ut matrem venerabatur, & tenerrime amabat, totus quantus defixus denique in hæc verba erupit: O Mater Dei! adsis famulo tuo cum tota

æterni-

æternitate luctanti, nec me deseras in hac hora, a qua pendet æterna animæ meæ salus. A Matre ad Filium conversus e cordis profundo suspira: Tu vero amantissime Servator! qui ex hoc mundo gloriose in cœlum abiturus dixisti discipulus tuis Joan. 14. v. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Vado parare vobis locum.* O & mihi, licet immerenti, locum concede ac mansionem in felicissimæ æternitatis hujus domo, ut te æternum laudare ac tecum æternum lætari possim. Fiat, Fiat.

